

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE VETERUM ARTE POETICA QUAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

IOANNES KAYSER
DRESDENSIS

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMVI

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

MARX **LIPSIUS**

PROCANCELLARIO
MARX.

LIPSIAE D. XV. M. JANUARII A. MCMVI.

FRIDERICO MARX

OTTONI IMMISCH

Pars prior.

Caput I.

De Tractatu Coisliniano.

Commentariorum veterum, qui sunt de comoedia Graeca, plurimum valere ad artis poeticae historiam investigandam tractatum illum, qui vocatur Coislinianus,[1]) nemo erit, quin intellegat. De quo primus iudicium protulit Bernaysius in Mus. Rhen. vol. VIII p. 561 sqq.[2]) Quae commentatio iterum typis expressa est in Bernaysii libello, qui inscribitur: „Zwei Abhandlungen über die aristotel. Theorie des Drama." Berolini 1880 p. 135 sqq. Is autem totam quaestionem ita absolvit, ut maximam tractatus partem dicat ad Aristotelem esse referendam, addit praeterea aliorum doctrinae vestigia inesse. Minime consentit cum Bernaysio Baumgartius, qui in eo libro, qui inscribitur: „Handbuch der Poetik" p. 660 sqq. totam quaestionem retractavit. Nonnullos autem tractatus locos denuo in iudicium vocavit Usenerus in relationibus cl. philos.-philol. et hist. academiae litt. Monacensis 1892 p. 614—621. Atque accuratius Kaibelius de toto tractatu quaesivit in Prolegomenis *περὶ κωμῳδίας,* quae inveniuntur in dissertationibus cl. philol.-hist. soc. litt. Gott. n. s. II, 4 (1898). Qui dicit eum, qui composuerit tractatum Coislin., ex auctoris incerti de arte poetica libro hausisse. Qua in quaestione afferenda sunt haec Kaibelii verba (p. 53): „Das charakteristische Kennzeichen dieser gemeinsamen Quelle ist, daß sie auf Aristoteles' Poetik fußend die Lehre des Meisters bald zu erweitern, bald zu variieren oder zu korrigieren bemüht ist." Deinceps de prima tractatus parte disseruit Immischius, qui cum Kaibelio minime consentit, in commentationibus in honorem Gomperzii conscriptis p. 262 sqq. Nuperrime egit parum feliciter de prima tractatus paragrapho Reichius in eo libro, qui est de mimo vol. I, 1 p. 248 sqq. Eam autem partem, quae continet ridiculi locos, retractavit Ernestus Arndtius in dissertatione Bonnensi (1904), quae inscribitur de ridiculi doctrina rhetorica, p. 8 sqq. Qui dicit p. 9: ‚se intellexisse re vera etiam in catalogo illo doctrinam

[1]) Edidit Kaibelius in Comicorum Graec. fragmentis vol. I p. 50, cuius editionem in locis afferendis sequor.

[2]) In Bernaysii commentationibus ab Usenero conlectis non invenitur.

Aristotelicam subesse.' Sed cum de tractatu Coislin. viri docti minime consentiant, mihi quidem e re esse videtur denuo ad hanc quaestionem accedere. Unum hoc praemittam, cum Kaibelio l. s. s. et cum Zielinskio in ephemer. philol. class. vol. XV (1898) 1344 statuendum esse tractatum Coislin. ex Peripateticorum doctrina fluxisse. Priusquam ad tractationem ipsam transeo, tractatum Coislin. rursus litteris mandabo. Apparatum criticum secundum Kaibelium l. s. s. praebeo.

Tractatus Coislinianus.

1. *Τῆς ποιήσεως*

ἡ μὲν ἀμίμητος

ἱστορική — *παιδευτική*

παιδευτική: *ὑφηγητική* — *θεωρητική* [1]

ἡ δὲ μιμητική [2]

τὸ μὲν ἀπαγγελτικόν [3] — *τὸ δὲ δραματικὸν καὶ πρακτικόν.*

τὸ δὲ δραματικὸν καὶ πρακτικόν: *κωμῳδία* — *τραγῳδία* — *μίμους* — *σατύρους*

2. *ἡ τραγῳδία ὑφαιρεῖ τὰ φοβερὰ παθήματα τῆς ψυχῆς δι' οἴκτου καὶ δέους· καὶ ὅτι συμμετρίαν θέλει ἔχειν τοῦ φόβου· ἔχει δὲ μητέρα τὴν λύπην.*

3. *κωμῳδία ἐστὶ μίμησις πράξεως γελοίου καὶ ἀμοίρου μεγέθους τελείου, χωρὶς*[4] *ἑκάστου τῶν μορίων ἐν τοῖς εἴδεσι, δρώντων καὶ ⟨οὐ⟩ δι' ἀπαγγελίας,*[5] *δι' ἡδονῆς καὶ γέλωτος περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν· ἔχει δὲ μητέρα τὸν γέλωτα.*

4. *γίνεται δὲ ὁ γέλως*

ἀπὸ τῆς λέξεως — *ἀπὸ τῶν πραγμάτων*

κατὰ ὁμωνυμίαν — *συνωνυμίαν* — *ἀδολεσχίαν* — *παρωνυμίαν* — *ὑποκόρισμα* — *ἐξαλλαγήν* — *σχῆμα λέξεως* [6]

παρωνυμίαν: *παρὰ πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν*

ἐξαλλαγήν: *φωνῇ* — *τοῖς ὁμογενέσι*

---

[1]) *ὑφηγητική* et *θεωρητική* in codice partes sunt non *τῆς παιδευτικῆς*, sed *τῆς ἱστορικῆς*; errorem notavit Bergkius.

[2]) cfr. infra p. 10, cod *μιμητή*.

[3]) *ἐπαγγελτικόν* cod: corr. Bergkius.

[4]) *<ἡδυσμένῳ λόγῳ> χωρίς* Vahlenus.

[5]) *δρῶντος καὶ δι' ἀπ.* codex, quod videbatur corrigendum.

[6]) verba *φωνῇ* et *τοῖς ὁμογενέσι* ad *σχῆμα λέξεως* refert Tzetzes Pa § 17 apud Kaibelium CGF p. 19, sed v. Bernaysium Zwei Abhandl. p. 176.

ὁ ἐκ τῶν πραγμάτων γέλως

ἐκ τῆς ὁμοιώσεως	ἐκ τῆς ἀπάτης	ἐκ τοῦ ἀδυνάτου	ἐκ τοῦ δυνατοῦ καὶ ἀνακολούθου	ἐκ τοῦ παρὰ προσδοκίαν	ἐκ τοῦ κατασκευάζειν τὰ πρόσωπα πρὸς τὸ μοχθηρόν	ἐκ τοῦ χρῆσθαι φορτικῇ ὀρχήσει	ὅταν τις τῶν ἐξουσίαν ἐχόντων παρεὶς τὰ μέγιστα φαυλότατα[1] λαμβάνῃ	ὅταν ἀσυνάρτητος ὁ λόγος ᾖ καὶ μηδεμίαν ἀκολουθίαν[2] ἔχων
χρήσει πρὸς τὸ χεῖρον — πρὸς τὸ βέλτιον								

5. διαφέρει ἡ κωμῳδία τῆς λοιδορίας · ἐπεὶ ἡ μὲν λοιδορία ἀπαρακαλύπτως τὰ προσόντα κακὰ διέξεισιν, ἡ δὲ δεῖται τῆς καλουμένης ἐμφάσεως.

6. ὁ σκώπτων ἐλέγχειν θέλει ἁμαρτήματα τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος.

7. συμμετρία[3]) τοῦ φόβου θέλει εἶναι ἐν ταῖς τραγῳδίαις καὶ τοῦ γελοίου ἐν ταῖς κωμῳδίαις.

8. κωμῳδίας ὕλη

μῦθος ἦθος διάνοια λέξις μέλος ὄψις.

μῦθος κωμικός ἐστιν ὁ περὶ γελοίας πράξεις ἔχων τὴν σύστασιν. ἤθη κωμῳδίας τά τε βωμολόχα καὶ τὰ εἰρωνικὰ καὶ τὰ τῶν ἀλαζόνων. διανοίας μέρη δύο, γνώμη καὶ πίστις.

⟨πίστεις⟩ έ[4])

ὅρκοι συνθῆκαι μαρτυρίαι βάσανοι νόμοι.

9. κωμική ἐστι λέξις κοινὴ καὶ δημώδης. δεῖ τὸν κωμῳδοποιὸν τὴν πάτριον αὐτοῦ γλῶσσαν τοῖς προσώποις περιτιθέναι, τὴν δὲ ἐπιχώριον αὐτῷ ἐκείνῳ[5]). μέλος τῆς μουσικῆς ἐστιν ἴδιον · ὅθεν ἀπ' ἐκείνης τὰς αὐτοτελεῖς ἀφορμὰς δεήσει[6]) λαμβάνειν. ἡ ὄψις μεγάλην χρείαν τοῖς δράμασι τὴν συμφωνίαν[7]) παρέχει. ὁ μῦθος

---

1) φαυλότητα cod: corr. Bergkius, fort. <τὰ> φαυλότατα Kaibelius.

2) ἀκολουθίαν cod: ἀνακολουθίαν Kaibelius, cf. infra p. 40 adn. 3.

3) σύμμετρα cod: corr. e § 2.

4) ‘με’ cod teste Cramero, ‖ ε̂ teste Bonneto: suppletum ex Aristot. Rhet. I 1375 a 24, ceterum inepte haec addita esse sensit Cramerus.

5) αὐτῷ τῷ ξένῳ Bernaysius, requiri videtur Kaibelii iudicio τὴν δὲ ἐπιχώριον ἑκάστου τῷ ξένῳ.

6) δεήσῃ cod.

7) τῇ ψυχαγωγίᾳ vel πρὸς τὴν ψυχαγωγίαν Bernaysius conl. Aristot. Poet. 6 p. 1450 b 17.

καὶ ἡ λέξις καὶ τὸ μέλος ἐν πάσαις κωμῳδίαις θεωροῦνται, διάνοια[1]) *δὲ καὶ ἦθος καὶ ὄψις ἐν ὀλίγαις.*

10. *μέρη τῆς κωμῳδίας τέσσαρα.*

πρόλογος	*χορικόν*	*ἐπεισόδιον*	*ἔξοδος*

πρόλογός ἐστιν μόριον κωμῳδίας τὸ μέχρι τῆς εἰσόδου τοῦ χοροῦ. χορικόν ἐστι τὸ ὑπὸ τοῦ χοροῦ μέλος ᾀδόμενον ὅταν ἔχῃ μέγεθος ἱκανόν. ἐπεισόδιόν ἐστι τὸ μεταξὺ δύο χορικῶν μελῶν. ἔξοδός ἐστι τὸ ἐπὶ τέλει λεγόμενον τοῦ χοροῦ.

11. *τῆς κωμῳδίας*

παλαιά, ἡ πλεονάζουσα τῷ γελοίῳ	*νέα ἡ τοῦτο μὲν προιεμένη, πρὸς δὲ τὸ σεμνὸν ῥέπουσα*	*μέση, ἡ ἀπ' ἀμφοῖν μεμιγμένη.*

Atque primo quidem loco tractanda est partitio illa initio tractatus Coislin. (§ 1) tradita, de qua usque ad hunc diem nondum recte esse iudicatum mihi videtur. Nam cum scriptum legamus *τῆς ποιήσεως ἡ μὲν ἀμίμητος ἡ δὲ μιμητή*, tota res mihi quidem ita esse instituta videtur, ut primum genus afferatur, i. e. *ποίησις*; deinceps singulae generis species exspectantur. Sed cum secundum Peripateticorum doctrinam *ποίησις ἀμίμητος* omnino non possit numerari in *ποιήσεως* speciebus, priore loco artis poeticae species non invenitur, altero autem, ubi affertur *ποίησις μιμητική*, commemoratur *ποίησις κατ' ἐξοχήν*, ut ita dicam. Hanc autem Peripateticam rationem esse disponendi vel ex eis intellegitur, quae scripta exstant in Ethicis Nicomach. Z 8 p. 1141 b 31, ubi *πολιτική* hoc modo dividitur: *ἐκείνων δὲ ἡ μὲν οἰκονομία ἡ δὲ νομοθεσία ἡ δὲ πολιτική, καὶ ταύτης ἡ μὲν βουλευτικὴ ἡ δὲ δικαστική.*[2]) Hoc autem loco sic se res habet, ut *οἰκονομία*, id quod ipso nomine indicatur, omnino non pertineat ad eam quae proprie dicitur *πολιτικήν*. Tertio vero loco *πολιτικὴ κατ' ἐξοχήν* invenitur. Iam apud veteres haec ratio disponendi Aristoteli crimini est data. Scriptum enim legimus apud Eliam, qui saeculo p. Chr. n. VI. floruisse putandus est,[3]) in prolegomenis philosophiae cap. 12[4]): *Λεκτέον τὴν διαίρεσιν τοῦ πρακτικοῦ· τοῦτο γὰρ μόνον λείπει τῇ διαιρέσει. διαιρεῖ τοίνυν τοῦτο ὁ Ἀριστοτέλης εἰς τρία, εἰς ἠθικόν, οἰκονομικόν, πολιτικόν· ὁ γὰρ πρακτικὸς φιλόσοφος ἀνθρωπείας ψυχὰς ἐπαγγελλόμενος ἢ ἀφ' ἑαυτοῦ ἄρχεται τοῦ κόσμου καὶ λέγεται ἠθικός (γελοῖος γὰρ εἴη, εἰ ἄλλους ἐπαγγέλλοιτο κοσμεῖν αὐτὸς ἄκοσμος ὤν), ἢ ὀλίγους κοσμεῖ καὶ λέγεται*

---

[1]) *διάνοιαι* cod: corr. Bergkius.

[2]) cf. Zellerum in philosophia Graecorum vol. II, 2³ p. 181 adn. 6 et p. 182 adn. 3. Quem locum ut inspicerem, monuit me Immischius.

[3]) cf. Busseum in comment. in Aristotelem Graec. vol. XVIII, parte I p. V adn. 1.

[4]) cf. Busseum ibid. p. 31, 21.

οἰκονομικός, ἢ πολλοὺς καὶ λέγεται πολιτικός. Ἐγκαλοῦσι δὲ οἱ Πλατωνικοὶ τῇ τοιαύτῃ διαιρέσει τέσσαρα ἐγκλήματα · πρῶτον ὅτι ἐν οὐδεμιᾷ διαιρέσει τὸ γένος ἑνὶ εἴδει ἑαυτοῦ πάντῃ ταὐτόν ἐστιν · οἷον τὸ ζῷον διαιρεῖται εἰς λογικὸν καὶ ἄλογον, καὶ οὐ πάντῃ ταὐτόν ἐστι τὸ ζῷον τῷ λογικῷ, ἐπεὶ πῶς ἑαυτὸ τῷ ἀλόγῳ παράσχοι; ἐνταῦθα δὲ ταὐτὸν τὸ πρακτικὸν τῷ πολιτικῷ · καὶ ὁ πρακτικὸς γὰρ ἢ ἕνα κοσμεῖ ἢ ὀλίγους ἢ πολλούς, καὶ ὁ πολιτικὸς ὁμοίως ἢ ἕνα ἢ ὀλίγους ἢ πολλοὺς κοσμεῖ. Tertio autem loco Elias haec dicit p. 32, 18 sqq.: τρίτον ἔγκλημα, ὅτι οὐκ ἀεὶ ὁ ὀλίγους κοσμῶν λέγεται οἰκονομικός, ὁ δὲ πολλοὺς πολιτικός · τί γὰρ ποιεῖ ⟨ὁ⟩ ἐπὶ τῶν οἴκων τῶν ἐχόντων πλείονας ἀνθρώπους τινῶν πόλεων; ἔσται γὰρ τότε τὸ οἰκονομικὸν πολιτικὸν καὶ τὸ πολιτικὸν οἰκονομικόν. Quibus locis allatis, quamquam Elias οἰκονομικόν ab Aristotele ipso esse compositum [1]) male iudicat, tamen apparere censeo partitionem illam tractatus Coislin. minime esse improbandam, sed Peripateticorum ratione esse institutam.[2])

Iam restat quaestio, quid sit iudicandum de vocibus ἀμίμητος et μιμητή. Significat autem illud μιμητός id, quod imitari possumus aut imitati sumus, non id, quod ipsum μιμήσεως est particeps. Quem sensum hoc loco requiri ex eis apparet, quae demonstravit Immischius l. s. s. p. 259 sq. et p. 263 sq. Nam Aristotelis doctrinam hoc tractatus loco subesse constat. Praeterea est commemorandum in Aristotelis arte poet. c. 6 p. 1449 b 21 haec exstare verba: περὶ οὖν τῆς ἐν ἑξαμέτροις μιμητικῆς (scil. ποιήσεως) καὶ περὶ κωμῳδίας ὕστερον ἐροῦμεν et c. 8 p. 1451 a 28: χρὴ οὖν, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐστιν.[3]) Itaque Kaibelius FCG. p. 50 adn. 2. proposuit lectionem μιμητική, quae sine dubio in textum est recipienda. Nam novum argumentum infra proferam. Sed ad illud ἀμίμητος accedamus, quod hoc loco ipsum quoque proprio quodam sensu adhibetur. Significat enim eam poesin, quae expers est μιμήσεως. Sed scriptum legimus apud Aristotelem personatum in problem. p. 591 a 6: ἢ διότι τὰ μὲν ἀμίμητα τὰ δὲ μιμητὰ τῇ ψυχῇ. Hoc autem loco ea sunt ἀμίμητα, quae nemo imitari potest, atque illud μιμητά eam habet vim, de qua supra egimus. Eodem autem sensu vocabulum illud adhibetur in Euripidis vita (schol. in Euripidem ed. E. Schwartz vol. I p. 4, 5): καὶ τοῖς μέλεσίν ἐστιν ἀμίμητος παραγκωνιζόμενος τοὺς μελοποιοὺς σχεδὸν πάντας. Sed apud Proclum Neoplatonicum invenitur locus, ubi Platonis artis poeticae partitio tractatur. Singula autem artis vocabula cum sint simillima eorum, quae in tractatu Coislin. scripta legimus, illius

[1]) Dicit p. 33, 45: διὰ δὲ τὸ οἰκονομικὸν γέγραπται αὐτῷ ὁ Οἰκονομικός. cf. Zellerum l. s. s. p. 181.

[2]) Quae cum ita sint, non recte de hac quaestione iudicavit Bernaysius in „Zwei Abhandlungen über die aristotelische Theorie des Drama" p. 140 itemque Kaibelius l. s. s. p. 63 sqq.

[3]) Aristoteles personatus ipse quoque illud μιμητικός adhibet in problem. IΘ 918 b 18: διὸ καὶ οἱ διθύραμβοι, ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο, οὐκέτι ἔχουσιν ἀντιστρόφους, πρότερον δὲ εἶχον. Sed haec verba spectant ad artem musicam. cf. Janium, musici scriptores Graeci (Lips. 1895) p. 39 sqq.

verba hoc loco subiungam. Conferas velim ea, quae scripta exstant in Procli Diadochi in Platonis rem publicam commentario (ed Kroll.) vol. I p. 14, 15 sqq.: *Δεύτερον δὲ ἦν ἐπὶ τούτῳ κεφάλαιον, ὁποῖόν ἐστιν τῶν λόγων τὸ εἶδος, καθ' ὃ διέθηκεν τὴν πραγματείαν ταύτην ὁ συγγραφεύς. τοῦτο δὲ οὐ πολλῶν οἶμαι δεήσασθαί μοι λόγων, ἀλλ' ἀναμνῆσαι χρῆναι μόνον, ὅτι καὶ αὐτὸς ἐν τῷδε τῷ συγγράμματι* [III p. 392 d. ss.] *τρία φησὶν εἴδη λέξεως ὑπάρχειν, τὸ μὲν δραματικὸν καὶ μιμητικὸν μόνως τῆς κωμῳδίας λέγων καὶ τραγῳδίας, τὸ δὲ ἀφηγηματικὸν καὶ ἀμίμητον, οἷον καὶ οἱ τοὺς διθυράμβους γράφοντες καὶ οἱ τὰς ἱστορίας τῶν γεγονότων ἄνευ προσωποποιίας μετέρχονται· τρίτον δὲ τὸ μικτὸν ἐξ ἀμφοτέρων, οἵαν καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν εἶναι, τὰ μὲν ταῖς τῶν πραγμάτων ἀφηγήσεσι, τὰ δὲ ταῖς τῶν προσώπων μιμήσεσι πεποικιλμένην.* Hoc autem loco illud *ἀμίμητος* idem fere est atque *μιμήσεως* expers. Sed mea quidem sententia minime est neglegendum Proclum l. s. s. Platonis doctrinam praebere, quae invenitur in rei publicae libro III c. 7 p. 394 B sqq. Quo loco illud *μίμησις* alio sensu adhibetur atque in Aristotelis arte poetica. Apud Platonem enim l. s. s. vim habet imitationis orationum,[1]) Aristotelis sententia *μίμησις* regulam atque normam suppeditat de omni artis genere iudicium proferendi. Apud Proclum autem l. s. s. illud *δραματικὸν καὶ μιμητικόν* ita est explicandum, ut *μιμητικόν* artiorem vim habeat, quam apud Platonem invenimus. Aliter autem res se habet in tractatu Coislin. Ubi illud *μιμητική* — nam sic esse scribendum cum ex aliis locis supra allatis tum ex his Procli verbis cognoscimus — Aristotelis ratione esse interpretandum Immischius demonstravit l. s. s. p. 259 et 263. Quae cum ita sint, mea quidem sententia *ἀμίμητον* alium sensum habet loco illo Procli, alium in tractatu Coislin. Tamen censeo optimo iure Procli verba argumento esse posse in tractatu Coisl. illud *ἀμίμητος* recto stare talo et illud *μιμητική* esse praeferendum illi *μιμητή*.

Iam de artis poeticae partitione nobis erit agendum. Primo autem loco commemoranda sunt Platonis verba in rei publ. lib. III p. 394 B sqq. tradita, quem locum exscribere opus non est, praesertim cum sit notissimus et supra Procli verba sint allata, qui Platonis locum tractavit. Ceterum conferas velim Immischium l. s. s. p. 259. Hanc autem tripartitionem inveniri praecipue apud eos auctores, qui poesis bucolicae habent rationem, idem dicit l. s. s. p. 262. Veluti scriptum legimus apud Zieglerum in Codicis Ambrosiani 222. scholiis in Theocritum p. 2 (cf. Ahrensium proleg. Theocrit. p. 7): *πᾶσα ποίησις τρεῖς ἔχει χαρακτῆρας διηγηματικόν, δραματικὸν καὶ μικτόν. τὸ δὲ βουκολικὸν μῖγμα ἐστὶ παντὸς εἴδους καθάπερ συγκεκραμένον· διὸ καὶ χαριέστερόν ἐστι τῇ ποικιλίᾳ τῆς κράσεως, ποτὲ μὲν συγκείμενον ἐκ διηγηματικοῦ, ποτὲ δὲ ἐκ δραματικοῦ, ποτὲ δὲ ἐκ μικτοῦ, ἤγουν διηγηματικοῦ καὶ δραματικοῦ, ὅτε δὲ ὡς ἂν τύχῃ. εἰς ὅσον δ' οἷόν τέ ἐστι, τὰ τῶν ἀγροίκων ἤθη ἐκμάσσεται, τερπνῶς πάνυ τοὺς τῇ ἀγροικίᾳ σκυθρωποὺς καὶ τὸν βίον*

[1]) cf. Finslerum: Plato und die aristotelische Poetik. Lips. 1900 p. 17 sqq. et Immischium l. s. s. p. 259.

χαρακτηρίζουσα[1]) (*αὕτη ἡ ποίησις*). *ἐκπέφευγε δὲ τὸ ἄγαν ἁδρὸν καὶ ὑπέρογκον τῆς ποιήσεως.*[2]) Paulo autem ampliorem textum praebet Anecdoton Estense III, 6[3]): *ὅτι πάσης ποιήσεως τρεῖς ἐχούσης χαρακτῆρας, διηγηματικόν, δραματικὸν καὶ μικτόν. τὸ βουκολικὸν ποίημα μῖγμά ἐστι παντὸς εἴδους, ὥςπερ συγκεκραμένον τῇ ποικιλίᾳ. διὸ καὶ χαριέστερόν ἐστι τῇ ποικιλίᾳ τῆς κράσεως. ποτὲ μὲν γὰρ διηγηματικόν ἐστι, ποτὲ δὲ δραματικόν, ποτὲ δὲ μικτόν. ἔστι δὲ δραματικὸν μὲν τὸ μηδαμῇ γε ἐμφαῖνον τὸ πρόσωπον τοῦ ποιητοῦ, διηγηματικὸν δὲ τὸ διόλου ἐμφαῖνον,*[4]) *μικτὸν δὲ τὸ πῇ μὲν ἐμφαῖνον, πῇ δὲ οὔ. ἐν πᾶσι δὲ ὅσον οἷόν τε τὰ τῶν ἀγροίκων ἤθη ἐκμάσσεται, τερπνῶς πάνυ τοὺς τῇ ἀγροικίᾳ σκυθρωποὺς λόγους χαρακτηρίζουσα. ὅθεν ἐκπέφευγε τὸ ἄγαν ἁδρὸν καὶ ὑπέρογκον τῆς ποιήσεως.* Theocriti autem prolegomena sunt adhibita in proleg. Hesiod. p. 5, 8 sqq. Gaisford.[5]): *Ἰστέον ὅτι πᾶσα ποίησις τρεῖς ἔχει χαρακτῆρας · διηγηματικόν, δραματικὸν καὶ μικτόν. καὶ διηγηματικὸν μέν ἐστι ἐν ᾧ ὁ ποιητὴς μόνος φαίνεται φθεγγόμενος, ὥςπερ ἐνταῦθα ὁ ποιητὴς Ἡσίοδος μόνος ἐν παντὶ τῷ συγγράμματι φαίνεται διαλεγόμενος· δραματικὸν δὲ ἐν ᾧ οὐδαμοῦ ὁ ποιητὴς φθέγγεται, ὥςπερ ἐν ταῖς κωμῳδίαις ὁρῶμεν καὶ ταῖς τραγῳδίαις γενόμενον. μικτὸν δέ, ἐν ᾧ ὅ τε ποιητὴς διαλέγεται καὶ πρόσωπα εἰσῆκται διαλεγόμενα, οἷον ἐν τῇ Ἰλιάδι ἐμφαίνεται. Ἅπαντες δ' οὗτοι οἱ χαρακτῆρες ἐν τοῖς βουκολικοῖς τοῦ Θεοκρίτου ἐοίκασιν ὑπάρχειν · καὶ μῖγμα παντός ἐστιν εἴδους καθάπερ συγκεκραμένον ᾧ καὶ χάριέν ἐστι τῇ ποικιλίᾳ τῆς κράσεως, ποτὲ μὲν συγκείμενον ἐκ διηγηματικοῦ, ποτὲ δὲ ἐκ δραματικοῦ, ποτὲ δὲ ἐκ μικτοῦ ἤγουν διηγηματικοῦ καὶ δραματικοῦ.* Quae verba quam arte cohaereant cum eis, quae scripta exstant in anecdoto Est., primo obtutu apparet. Nec vero neglegendum est anecdoton Est. magna cum probabilitatis specie Tzetzae nos in altera huius dissertationis parte esse attributuros eundemque ad Hesiodum prolegomena conscripsisse. Praeterea commemorandum est *διηγηματικῷ χαρακτῆρι* exemplo esse Hesiodum. Simili autem ratione apud Diomedem (p. 54 Kaibel) exegetici generis species affertur: ‚*ἱστορική* . . . ut est *Ἡσιόδου γυναικῶν κατάλογος*.' Dramatici autem generis exempla commemorantur tragoedia et comoedia eadem ratione atque a Platone l. s. s. et a Diomede, qui haec dicit p. 53 Kaibel.: ‚*δραματικόν* . . . ut se habent tragicae et comicae fabulae.' Tertio autem loco invenimus Iliadem. Conferas velim haec Diomedis verba: ‚*κοινοῦ* vel communis species prima est heroica, ut est Iliados.' Apud Platonem scriptum legimus: *ἡ δ' αὖ δι' ἀμφοτέρων ἔν τε τῇ τῶν ἐπῶν ποιήσει.* Similes loci infra afferentur. Memoratu autem

---

[1]) Inde a verbis *Πᾶσα ποίησις* usque ad verbum *χαρακτηρίζουσα* eadem verba inveniuntur etiam in codice Mediceo 37. cfr. Zieglerum p. 98.

[2]) In hypothesibus quoque ad singula Theocriti carmina conscriptis et apud Iunium Philargyrium in commentario ad Vergili Bucolica composito inveniuntur haec artis vocabula. Sed hac de re infra agemus.

[3]) cf. alteram huius dissertationis partem.

[4]) cf. Origenem vol. III p. 286, 4 Klostermann.: *τὸ γὰρ διηγηματικὸν πρόσωπον πανταχοῦ (ὡς ἴσασιν καὶ οἱ περὶ παντοδαποὺς γενόμενοι λόγους) ἐστὶ πρόσωπον τοῦ συγγραφέως.*

[5]) cf. Immischium l. s. s. p. 251 adn. 1 et p. 262 adn. 1.

dignum esse mihi videtur hisce locis Platonis doctrinam inveniri uno loco mutatam. Dicit enim ille: *ἡ δὲ δι' ἀπαγγελίας αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ· εὕροις δ' ἂν αὐτὴν μάλιστά που ἐν διθυράμβοις.* Contra a posterioribus pro hisce verbis certum exemplum mulierum catalogi Hesiodei est positum. Artissime autem cum prolegomenis Theocriteis cohaerere mihi videntur ea, quae scripta legimus apud Villoisonum in anecd. Graec. vol. II p. 186 adn. 1: *τρία εἴδη ποιήσεως· διηγηματικόν, μιμητικὸν καὶ μικτόν. διηγηματικὸν μέν, ὅτε τὸ τοῦ ποιητοῦ πρόσωπον ἐμφαίνεται· μιμητικὸν δέ, ὅτε διάφορα πρόσωπα ὁ ποιητὴς μιμεῖται· μικτὸν δέ, ὅτε καὶ τὸ τοῦ ποιητοῦ πρόσωπον ἐμφαίνεται, καὶ διαφόρων προσώπων μίμησις.*[1]) *ἄλλως· διηγηματικόν, ἡνίκα ὁ λόγος ἐκ ποιητικοῦ μόνου προσώπου λέγεται*[2]) · *μιμητικόν, ὥςπερ αἱ κωμῳδίαι καὶ αἱ τραγῳδίαι· ἐν τούτοις γὰρ τὸ τοῦ ποιήσαντος οὐκ ἐμφαίνεται, ἀλλὰ μιμεῖται ἕτερα πρόσωπα· μικτόν, ὡς αἱ ῥαψῳδίαι τοῦ Ὁμήρου.*[3]) Hanc autem Platonis doctrinam rhetores quoque in usum suum converterunt eis locis, ubi de narratione agunt. Veluti scriptum legimus apud Nicolaum, qui saeculo p. Chr. n. V. fuit, in progymnasmatis vol. III p. 455, 18 Sp.: *τῶν διηγημάτων τρεῖς τὰς πάσας πρὸς ἀλήθειάν φασιν εἶναι διαφοράς· τὰ μὲν γάρ ἐστιν ἀφηγηματικὰ μέν, ὅσα ἀπὸ μόνου τοῦ ἀπαγγέλλοντος προσώπου εἰσίν, οἷα παρὰ Πινδάρῳ· δραματικὰ δέ, ὅσα ἀπ' αὐτῶν τῶν ὑποκειμένων προσώπων ἐστὶ μόνον μὴ παρεμφαινομένου τοῦ συντιθέντος προσώπου, μικτὰ δὲ τὰ ἐξ ἀμφοῖν τοῦ τε συντιθέντος καὶ τῶν ὑποκειμένων συγκείμενα προσώπων, οἷα τὰ ἀφηγηματικά, τὰ δὲ δραματικά, τὰ δὲ μικτά.*[4]) Nam quod Pindarus aphegematici generis auctor affertur, mea quidem sententia optime quadrat ad Platonis doctrinam, praesertim cum ille re vera scripserit dithyrambos.[5]) Eadem fere verba atque apud Nicolaum inveniuntur apud anonymum in scholiis ad Apthonium conscriptis Rhet. Gr. II p. 13, 17 Walz.: *ἄλλοι δὲ τῶν διηγημάτων τὰ μέν φασιν εἶναι ἀφηγηματικά,*[6]) *ὅσα μόνον τὸ ἀπαγγέλλον ἐμφαίνει πρόσωπον, ὡς τὸ τοῦ Πινδάρου· τὰ δὲ δραματικά, ἐν οἷς τὸ τοῦ συντιθέντος οὐ παρεμφαίνεται πρόσωπον, καὶ τὰ τῶν τραγῳδῶν καὶ τὰ κωμικά· τὰ δὲ μικτὰ ἐν οἷς τό τε τοῦ συντιθέντος πρόσωπον καὶ τὰ ὑποκείμενα πρόσωπα ἐμφαίνεται, οἷα τὰ τοῦ Ὁμήρου καὶ Ἡροδότου.* Doxopatres[7]) autem in homiliis ad Apthonium II p. 206, 30 sq. Walz. haec habet verba: *Ζητεῖται, διατί τῶν διηγημάτων καὶ κατὰ πράγματα, κατὰ μὲν τὰ πρόσωπα, ὅτι τὰ μὲν αὐτῶν ἀφηγηματικά ἐστιν, ὅσα ἀπὸ μόνου τοῦ συντι-*

---

[1]) Eadem verba inveniuntur in Etymol. Gud. ed. Sturz. p. 681, 8 sqq.

[2]) cf. ea, quae infra p. 52 de hypothesibus ad Theocritum conscriptis demonstrabimus.

[3]) Similia praebet Phavorinus in lexico suo s. v. *ποίησις*. cf. Reitzensteinium, Gesch. der gr. Etymol. p. 219 adn. 1.

[4]) Eadem fere inveniuntur in scholiis ad Apthonium vol. II p. 578, 18 W. cf. Consbruchium in comment. in honorem Studemundi conscriptis p. 234 adn. 1.

[5]) cf. Schroederi Pindari carmina p. 406 sqq.

[6]) Sic esse scribendum apparet ex locis allatis. Walzius scripsit *ὑφηγηματικά*, sed in apparatu critico adnotavit: Mon. *ἀφηγηματικά*.

[7]) De ratione, quae inter hos tres auctores intercedit, conferas velim Graevenium in Herm. vol. XXX (1895) p. 471.

θέντος προσώπου ἀπαγγέλλονται, τὰ δὲ δραματικά, ὅσα οὐκ ἀπὸ τοῦ συντιθέντος, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ὑποκειμένων · τὰ δὲ μικτά, ὅσα ἀπ' ἀμφοτέρων, τοῦ τε συντιθέντος καὶ τῶν ὑποκειμένων · κατὰ δὲ τὰ πράγματα, ὅτι τὰ μὲν αὐτῶν ἀληθῆ εἰσι, τὰ δὲ ψευδῆ, τὰ δὲ ἀμφίδοξα. Quae ultima verba mihi quidem aliqua ratione videntur cohaerere cum Asclepiadis Myrleani doctrina, quam de historia protulit. Scriptum enim legimus apud Sextum Empiricum πρὸς γραμματικούς § 252 p. 655, 25 B: τῆς γὰρ ἱστορίας τὴν μέν τινα ἀληθῆ εἶναί φησι, τὴν δὲ ψευδῆ, τὴν δὲ ὡς ἀληθῆ.[1])

Iam ad Romanos transeamus. Nam apud eos quoque Platonis partitio invenitur in eis scriptis, in quibus poesis bucolica tractatur et quae ab eiusmodi commentationibus pendent. Veluti apud Probum[2]) in comment. in Verg. Buc. et Georg. vol. III, 2 p. 329 ed. Thilo-Hagen. scriptum legimus: ‚Omne carmen in tres characteres dividitur: dramaticon, in quo personae tantummodo locuntur, diegematicon, in quo solus poeta, micton, ubi promiscue et poeta et persona. Omnium specierum eclogas in Bucolicis posuit. Dramatici erit prima ⟨E. I, 1⟩: Tityre, tu patulae; diegematici erit ⟨E. IV, 1⟩: Sicelides Musae, paulo maiora canamus, mixti ⟨E. VI, 1⟩: Prima Syracosio dignata est ludere versu.' Itaque primo p. Chr. n. saeculo a Vergilii interpretibus hanc doctrinam in commentariis ad eius bucolica conscriptis esse adhibitam intellegimus, qua in re Theocriti interpretum rationem eos secutos esse censeo. Haud scio an Theo grammaticus, quem ad Theocritum commentarium scripsisse constat,[3]) Romanorum auctor fuerit. Similia autem praebet Servius ad Eclog. III v. 1 vol. III, 1 p. 29, 18 sqq. ed. Thilo-Hagen.: ‚novimus autem tres characteres hos esse dicendi: unum, in quo tantum poeta loquitur, ut est in tribus libris georgicorum, alium dramaticum, in quo nusquam poeta loquitur, ut est in comoediis et tragoediis; tertium mixtum, ut est in Aeneide; nam et poeta illic et introductae personae loquuntur. hos autem omnes characteres in bucolico esse convenit carmine, sicut liber etiam iste demonstrat.' Hoc loco commemoranda esse videntur ea, quae apud Iunium Philargyrium scripta legimus in explanatione in Bucolica Vergilii I vol. III, 2 p. 2 ed. Thilo-Hagen.: ‚Est enim modus dramaticos, est exegematicos, est mictos. Dramaticos est, in quo personae inducuntur, exegematicos, qui et didascalicos dicitur, in quo poeta solus loquitur, mictos est ex utroque constans.' Nam quamquam singula artis vocabula ab Iunio Philargyrio prolata non prorsus cum locis supra allatis congruunt, tamen singulorum generum definitiones ad hanc memoriae traditae partem esse referendas iudico. Apud Graecos quoque eiusmodi definitiones aetatem tulerunt. In scholiis enim Londin. ad Dionysium

[1]) cf. B. A. Muellerum: de Asclepiade Myrleano, Lips. 1903, p. 29.

[2]) Commentarium Vergilianum sub Probi nomine servatum re vera grammatico illi esse assignandum nuperrime demonstravit F. Marxius in prolegomenis ad Lucilium conscriptis (Lips. 1904) vol. I p. LXXII sqq. Quae cum ita sint, ea quoque corruunt, quae de Probi commentario exposuit Thilo in annal. Fleckeisen. vol. 149 (1894) p. 290 sqq.

[3]) cf. Ahrensium in bucol. Graec. rel. vol. II p. XXVII. Artemidorus num scripserit commentarium, est incertum. cf. eundem l. s. s. p. XL.

Thracem p. 450, 3 H., qui locus Proclo Neoplatonico est attribuendus, haec scripta legimus: *Ποιήσεως χαρακτῆρες τρεῖς, διηγηματικός, δραματικός, μικτός· διηγηματικός ἐστιν ὁ κεχωρισμένος μὲν τῶν παρεισαγομένων προσώπων, ὑπ' αὐτῶν δὲ τῶν ποιητῶν λεγόμενος· δραματικὸς δὲ ὁ κεχωρισμένος τοῦ ποιητικοῦ προσώπου, ὑπὸ δὲ τῶν παρεισαγομένων προσώπων λεγόμενος· μικτὸς δὲ ὁ ἐξ ἀμφοῖν συγκείμενος.* Quae verba si legimus, illud 'introductae personae' ex Graeco illo *παρεισαγόμενα πρόσωπα* esse versum videtur.[1])

Sed oportet hoc unum addere ad Servii verba supra allata. Illum enim exscripsit ad verbum Isidorus in originum lib. VIII c. 7 § 11 (quod caput inscripsit de poetis): ‚Apud poetas autem tres characteres esse dicendi, unum, in quo tantum poeta loquitur, ut est in libris Vergilii Georgicorum. Alium dramaticum, in quo nunquam poeta loquitur, ut est in libris[2]) comoediis et tragoediis. Tertium mixtum, ut in Aeneide. Nam poeta illic et introductae personae loquuntur.'

Exstat autem, si singula artis vocabula a Diomede adhibita spectamus, apud Romanos altera exemplorum series, in quibus Platonis doctrina invenitur. Scriptum enim legimus apud Diomedem p. 53 Kaibel.: ‚aut enim activum est vel imitativum, quod Graeci *δραματικόν* vel *μιμητικόν*' (scil. dicunt). Eadem autem artis vocabula inveniuntur apud Iunium Philargyrium ad eclog. IX vol. III, 2 Thilo-Hagen. p. 167: ‚Dramaticon vel mimeticon' et in schol. Bern. ad eandem eclogam p. 827 Hagen[3]): ‚hoc genus carminis *δραματικόν* vel *μιμητικόν* dicitur.' Diomedes autem pergit: ‚aut enarrativum vel enuntiativum, quod Graeci *ἐξηγητικόν* vel *ἀπαγγελτικόν* dicunt.' Conferas velim Iunium Philargyrium ad eclog. X l. s. s. p. 176: 'Exegeticon dicitur et apangelticon'[4]), et schol. Bern. ad eandem eclogam p. 832 Hagen.: ‚hoc genus carminis *ἐξηγητικόν* dicitur vel *ἀπαγγελτικόν*'.[5]) Tertio autem loco Diomedes haec habet: ‚aut commune vel mixtum, quod Graeci *κοινόν* vel *μικτόν* appellant.' Quibus cum verbis conferenda sunt ea, quae Iunius Philargyrius adnotat ad eclog. VIII l. s. s. p. 141: ‚Hoc genus carminis coenon vel micton dicitur.' (schol. Bern. p. 814 Hagen.)[6])

Ad tertiam autem paragraphum primae particulae huius Diomedis

---

[1]) Hoc loco Fortunatianum commemoro, qui admodum breviter in arte rhet. III, 9 p. 126 Halm. dicit (agit de elocutionis characteribus): *Ποιότητος* quot sunt genera? tria: *δραματικόν, διηγηματικόν, μικτόν.*

[2]) Illud ‚libris' ab Isidoro inepte esse additum apparet.

[3]) In schol. Bern. ad eclog. VII haec tantummodo adnotantur p. 806 Hagen.: ‚haec ecloga *μιμητικόν* appellatur.'

[4]) Sic enim esse scribendum pro illo 'epangelticon', quod praebent libri manuscripti, apparere censeo. Ceterum saepissime a librariis *ἐπαγγελία* pro *ἀπαγγελία* esse scriptum demonstravit Walzius in rhet. Graec. vol. I p. 15 adn. 45. Confer etiam ea, quae ab Hilgardio in scholiis ad Dionys. Thrac. p. 173, 3 in apparatu critico adnotantur. Simili ratione *ἐπολοφύρομαι* pro *ἀπολοφύρομαι* invenitur. cf. Schraderum in Hermae vol. XXXVII (1902) p. 549.

[5]) cf. adn. 4.

[6]) Eadem doctrina quamvis depravata invenitur apud Iunium Philargyrium ad eclog. II p. 31 (vol. III, 2 Thilo-Hagen.): ‚Caenon idest novum, micton idest mixtum.'

capitis sunt ea referenda, quae in schol. Bern. inveniuntur ad eclog. I—VI. Confer hosce locos:

ad eclog. I p. 749 Hagen.: 'Hic loquuntur duo pastores inter se.'

ad eclog. II p. 757: 'in hac ecloga poeta solus loquitur.'

ad eclog. III p. 765: 'in hac ecloga saepe personae mutantur, ideo obscura est. — In hac ecloga tres introducuntur personae.'

ad eclog. IV p. 775: 'in hac ecloga solus poeta loquitur.'

ad eclog. V p. 783: 'in hac ecloga personae II inducuntur . . . Haec in personas duas divisa est.'[1])

ad eclog. VI p. 792: 'in hac ecloga solus poeta loquitur.'[2])

Praeterea hoc loco comparanda sunt Servii verba supra allata. Qui ad Verg. bucol. eclog. III vol. III, 1 p. 29 ed. Thilo haec adnotat: 'unde etiam dramatico charactere scripta est; nam nusquam poeta loquitur, sed introductae tantum personae.' Paulo autem differunt ab eis, quae scripta legimus in schol. Bern., verba a Servio aucto ad eclog. VI adnotata vol. III, 1 p. 64 Thilo.: 'character mixtus; nam et poeta praefatur et cantare Silenus inducitur.' Idemque ad eclog. IX l. s. s. p. 108 haec praebet verba: 'haec ecloga dramatico charactere scripta est, inducuntur enim duo pastores.'

Quibus expositis demonstravisse mihi videor haec omnia apud Diomedem tradita esse sumpta ex prolegomenis ad Vergilium conscriptis.[3]) Sed cui eorum, qui illum interpretati sunt, Diomedis auctor haec debuerit, diiudicare minime ausim.

Cum Diomede[4]) consentiunt ea, quae post Dosithei artem grammaticam G. L. VII p. 428, 6 scripta exstant: 'Poematos genera sunt tria. aut activum est vel imitativum, quod Graeci dramaticon vel mimeticon appellant, in quo personae loquentes introducuntur, ut se habent tragoediae et comicae fabulae et prima bucolicon: aut enarrativum, quod Graeci exegematicon vel apaggelticon appellant, in quo poeta ipse loquitur sine ullius personae interlocutione, ut se habent tres libri georgici et pars prima quarti, item Lucretii carmina: aut commune vel mixtum [appellant], quod graece *κοινόν* vel *μικτόν* dicitur, in quo poeta ipse loquitur et personae loquentes introducuntur, ut est scripta Ilias et Odissia Homeri et Aeneis Virgilii.' Diomedis autem verba ipsa[5]) in usum suum convertit Beda, qui fuit saeculo septimo,[6]) de arte metrica G. L. VII p. 259. Sed ita rem instituit, ut auctorum christianorum adderet exempla. Haec sunt illius verba:

'Quod tria sint genera poematos.

---

[1]) Adnotat ad hanc eclogam Iunius Philargyrius II vol. III, 2 p. 90 ed. Thilo-Hagen.: '*Δραματικόν* idest consussus.' Codex P autem praebet 'concussus', quod vocabulum meo iudicio melius quadrat, quia illud *δραματικόν* explicatur. Nam dramata spectantium animi commoventur eis, quae in scena aguntur.

[2]) In proleg. ad Georg. Iunius Philargyrius schol. Bern. p. 842, 7 Hagen. haec dicit: 'in Georgicis poeta solus loquitur.'

[3]) cf. Immischium l. s. s. p. 262 adn. 1.

[4]) cf. Keilium G. L. VII p. 369.

[5]) cf. Keilium G. L. VII p. 223.

[6]) cf. Teuffelium l. s. s. § 500, 3 vol. II p. 1305.

Sane quia multa disputavimus de poematibus et metris, commemorandum in calce quia poematos genera sunt tria. aut enim activum vel imitativum, quod Graeci dramaticon vel mimeticon appellant; aut enarrativum, quod Graeci exegematicon vel apangelticon nuncupant; aut commune vel mixtum, quod Graeci coenon vel micton vocant. dramaticon est vel activum, in quo personae loquentes introducuntur sine poetae interlocutione, ut se habent tragoediae et fabulae: drama enim latine fabula dicitur: quo genere scripta est:

quo te Moeri pedes? an quo via ducit in urbem? quo apud nos genere cantica canticorum scripta sunt, ubi vox alternans Christi et ecclesiae tametsi non [hoc] interloquente scriptore manifeste reperitur. exegematicon est vel enarrativum, in quo poeta ipse loquitur sine ullius interpositione personae, ut se habent tres libri georgici toti et prima pars quarti, item Lucretii carmina et his similia. quo genere apud nos scriptae sunt parabolae Salamonis et ecclesiastes, quae in sua lingua, sicut et psalterium, metro constat esse conscripta. coenon est vel micton, in quo poeta ipse loquitur et personae loquentes introducuntur, ut sunt scripta Ilias et Odyssea Homeri et Aeneidos Virgilii et apud nos historia beati Job, quamvis haec in sua lingua non tota poetico, sed partim rhetorico, partim metrico vel rhythmico scripta sermone.' Denique hoc loco, quia alibi apte fieri non potest, commemoro, quae in excerptis grammaticis G.L. VI. p. 274 Keil. scripta legimus: ,poeseos genera sunt tria, actuale, narrativum, coniunctivum. actuale est, quod Graeci drasticon dicunt.' Fortasse haec quoque verba depravata ex Diomedis doctrina emanarunt.

Iam erit agendum de arte poetica bipartita. Quam primum Aristotelem in arte poet. c. 3. 1448 a 20 sqq. protulisse inter omnes constat.[1]) Aristotelis autem vestigia persecutus est auctor tractatus Coislin. Sed aliis quoque locis scriptorum veterum eadem videtur subesse doctrina. Dionysius enim Halicarnaseus *περὶ Θουκυδίδου* 37 vol. I p. 388, 15. Usener-Raderm. haec dicit: *καὶ κατ' ἀρχὰς μὲν ἐκ τοῦ ἰδίου προσώπου δηλοῖ τὰ λεχθέντα ὑφ' ἑκατέρων, ἐπὶ μιᾶς δ' ἀποκρίσεως τοῦτο τὸ σχῆμα διατηρήσας τὸ διηγηματικόν, προσωποποιεῖ τὸν μετὰ ταῦτα διάλογον καὶ δραματίζει* et 38 p. 390, 9: *καὶ μετὰ τοῦτο ἀποστρέψας τοῦ διηγήματος τὸν διάλογον ἐπὶ τὸ δραματικὸν ταῦτα τὸν Ἀθηναῖον ἀποκρινόμενον ποιεῖ.* Quibus ex locis apparet primo a. Chr. n. saeculo Aristotelis partitionem esse adhibitam.[2]) Eandem autem doctrinam invenimus in libello *περὶ ὕψους* 9, 13 p. 21, 3[8] Vahlen: *ἀπὸ δὲ τῆς αὐτῆς αἰτίας, οἶμαι, τῆς μὲν Ἰλιάδος γραφομένης ἐν ἀκμῇ πνεύματος ὅλον τὸ σωμάτιον δραματικὸν ὑπεστήσατο καὶ ἐναγώνιον, τῆς δὲ Ὀδυσσείας τὸ πλέον διηγηματικόν, ὅπερ ἴδιον γήρως.* Eadem autem ratione Plutarchus in Quaestionum Convivalium libr. VIII *πρόβλημα η'* 711 C (vol. IV p. 287 Bernadakis) de Platonis dialogis iudicat: *ʽἴστε γάρʼ εἶπεν ʽὅτι τῶν Πλάτωνος διαλόγων διηγηματικοί τινές εἰσιν, οἱ δὲ*

---

[1]) cf. Immischium l. s. s. p. 259.
[2]) cf. Usenerum relat. acad. Bav. 1892 p. 616.

δραματικοί· τούτων οὖν τῶν δραματικῶν τοὺς ἐλαφροτάτους ἐκδιδάσκονται παῖδες, ὥστ' ἀπὸ στόματος λέγειν. Commemorandum est hoc loco apud Aristotelem *τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους* eundem obtinere locum atque poetarum opera.[1]) Aristides quoque Quintilianus in arte poetica non servata eandem partitionem adhibuit. cf. *περὶ μουσικῆς* II, p. 53, 13: *περί γε μὴν τῶν ὑποθέσεων καὶ τῶν κεφαλαίων, οἷς τὰς μιμήσεις καὶ ἀφηγήσεις τεταγμένως ποιησόμεθα, ἐν τῷ περὶ ποιητικῆς ἡμῖν ἀκριβῶς εἴρηται· ἧς μέρη μὲν μίμησις καὶ διήγησις, τούτων δὲ ἑκατέρας μόρια ἠθοποιίαι τε καὶ διηγήματα, ἃ πολλαχοῦ καθ' ἑαυτὰ μόνα γινόμενα εἴδη τε καὶ ποιήματα προσαγορεύεται.*[2]) Iam veniamus ad Proclum, quem Platonis partitionem in chrestomathia sua attulisse supra exposuimus. Cuius sententiam videtur non probavisse. Scriptum enim legimus in schol. Lond. ad. Dionys. Thrac. p. 450, 8 H.: *εἴδη τοῦ διηγηματικοῦ καὶ μικτοῦ τέσσαρα ἐπικόν, ἐλεγειακόν, ἰαμβικόν, μελικόν· τοῦ δραματικοῦ εἴδη τρία τραγικόν, κωμικόν, σατυρικόν.* Hinc efficitur Proclum Platonis doctrinam cum Aristotele coniunxisse.[3])

Quattuor autem illae generis diegematici species ex Peripateticis studiis mihi videntur emanasse. Primum enim, quantum video, inveniuntur apud Horatium in arte poet. v. 73 sqq.[4]):

Res gestae regumque ducumque tristia bella
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos;
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo;
Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus et popularis
Vincentem strepitus et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos puerosque deorum
Et pugilem victorem et equum certamine primum
Et iuvenum curas et libera vina referre.

Adnotat autem Phorphyrio ad versum 73: ‚incipit nunc loqui de omnibus metris, de epico elegiaco ac iambico' et ad versum 83: ‚nunc de lyrico carmine loquitur, quo metro scribunt aut heroum laudes aut Olympionicarum.' Idemque Porphyrio in adnotatione ad primum versum artis poet. conscripta Neoptolemum Parianum Horatii auctorem nominat. Quem in Peripateticorum numero esse habendum cum Meinekio Anal. Alex. p. 360 equidem iudico. Scripsit enim *περὶ ἀστεϊσμῶν*, quam materiam Aristoteles ipse in arte rhet. lib. III c. 10 et 11 tractavit.[5])

---

1) ars. poet. c. 1 p. 1447 b 1: *οὐδὲν γὰρ ἂν ἔχοιμεν ὀνομάσαι κοινὸν τοὺς Σώφρονος καὶ Ξενάρχου μίμους καὶ τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους, οὐδὲ εἴ τις διὰ τριμέτρων ἢ ἐλεγείων ἢ τῶν ἄλλων τινῶν τῶν τοιούτων ποιοῖτο τὴν μίμησιν.*

2) cf. Immischium l. s. s. p. 262.

3) cf. Immischium l. s. s. p. 269.

4) cf. Kaibelium in prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* p. 61 adn. 1.

5) cf. Arndtium: de ridiculi doctrina rhet. p. 4 sqq.

Eandem autem dispositionem secutus esse videtur Quintilianus, qui in instit. orat. lib. X c. 1 inde a § 46 affert poetas epicos, in § 58 elegiacos, a § 59 iambicos, a § 61 melicos. Praeterea hoc loco est commemorandus Tacitus, qui in dialogo c. 10 haec habet verba: ‚ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris altiorum artium studiis credo.‘ Nec miror eandem doctrinam inveniri apud Dionem Prusaensem in or. XVIII § 8 vol. II p. 253 Arnim.: *Ὅμηρος δὲ καὶ πρῶτος καὶ μέσος καὶ ὕστατος παντὶ παιδὶ καὶ ἀνδρὶ καὶ γέροντι, τοσοῦτον ἀφ' αὑτοῦ διδοὺς ὅσον ἕκαστος δύναται λαβεῖν. μέλη δὲ καὶ ἐλεγεῖα καὶ ἴαμβοι καὶ διθύραμβοι τῷ μὲν σχολὴν ἄγοντι πολλοῦ ἄξια.* Apud Diomedem quoque primo loco tractatur epos, altero elegia, tertio iambus. Neque vero quicquam de melica poesi ab illo profertur. Quod fortasse inde potest explicari, quod melica poesis modo alterum modo quartum obtinet locum. Omnino autem meo quidem iudicio tot locis gemellis allatis apud Diomedem p. 54, 27 Kaibel medicina est in promptu. Itaque scribam: ‚secunda melica[1] * *, tertia elegiaca ut est Callimachi et Properti, quarta iambica ut est Archilochi et Horati' (codd secunda eliaca, ut est archiloci et oratius, Usenerus l. s. s. p. 615 secunda elegiaca, ⟨ut est Callimachi et Properti; tertia iambica⟩, ut est Archilochi et Horati). Apud Pollucem inveniri eandem dispositionem in Onomast. lib. IV, 52 demonstravit Kaibelius l. s. s. p. 61. Iam veniamus ad anonymum qui vocatur post Censorinum G. L. VI p. 607, quem eadem disponendi ratione usum esse iudico; scriptum enim legimus: ‚Prior est musica inventione metrica. cum sint enim antiquissimi poetarum Homerus, Hesiodus, Pisander, hos secuti elegiarii Callinus, Mimnermus, Euenus, mox Archilochus et Simonides trimetrum iambicum et choriacum catalecticum tetrametron composuerint, Archilochus etiam commata versibus adplicando variavit † ea potius per plurimas species, secuit Alcman, numeros etiam minuit in carmen. Hinc poetice melica dicta. Telesilla etiam Argiva minutiores edidit numeros. quae species cum iam displiceret et integra brevior videretur, magnitudine Pindari adserta est, qui liberos etiam numeros modis edidit.'

Ad Aristotelis artis poeticae partitionem redeamus. Cuius bipartitio subesse mihi videtur in eis scholiis, ubi res imitando actae opponuntur rebus narratione relatis. Notissimum enim est illud *ἀπὸ τοῦ διηγηματικοῦ ἐπὶ τὸ μιμητικόν*, quod in scholiis ad Homerum conscriptis invenitur. Omnes autem locos enumerare longum est. Itaque conferas velim Adamium: „Die aristotelische Theorie vom Epos nach ihrer Entwicklung bei Griechen und Römern (1889) p. 38 et G. Lehnertium de scholiis ad Homerum rhetoricis (Lips. 1896) p. 91 sq., qui

[1]) cf. F. Schoellium in annal. Fleckeisen. vol. 155 (1897) p. 879 et Reifferscheidium l., s. s. p. 377. Minime autem sunt comprobanda, quae Buchholzius in annal. Fleckeisen. vol. 155 p. 137 de poesi lyrica profert.

horum locorum ex ipso Aristotele doctrinam esse haustam negat. Sed equidem iudico Peripateticis eam deberi. Imprimis in Aristonici, qui fuit saeculo a. Chr. n. primo, libris de signis Homericis verba illa inveniuntur. Nec miror in Plutarchi personati libro, qui est de vita et poesi Homeri haec scripta exstare § 57 (vol. VII p. 364 Bernadakis): *ἀπὸ γὰρ τοῦ διηγηματικοῦ μετέβαλον εἰς τὸ μιμητικόν. καὶ ἐν αὐτῷ δὲ τῷ διηγηματικῷ πολλάκις χρῆται τῇ ἀποστροφῇ . . . ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μιμητικῷ χρῆται καὶ μεταβολῇ τῶν προσώπων.*

Similia inveniuntur in tragicorum quoque scholiis. Conlegit locos A. Trendelenburgius in dissertatione sua, quae inscribitur Grammat. Graec. de arte tragica iudic. rel., p. 139.[1]) Aristotelis autem bipartitio aetatem tulit in prolegomenis Aeschyleis, id quod demonstravit Immischius l. s. s. p. 262.

In scholiis Aristophaneis adnotantur ad Acharnensium v. 9 haec: *τραγῳδικόν · (ἀντὶ τοῦ ἐμπαθές) . ἐπείπερ καὶ ἡ τραγῳδία ἐμπαθῶν πραγμάτων ἀπαγγελτική · (ἢ ἐπεὶ περὶ τραγῳδιῶν μέλλει λέγειν)*,[2]) et ad Avium v. 918: *κύκλιά τε πολλά: Τὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν ἔχοντα, ταῦτα κύκλια ἔλεγον. ἀντὶ τοῦ ἃ αἱ παρθένοι ᾖδον. κύκλια δὲ καλοῦνται μέλη. τὰ ἐπεκτεταμένα, ἔστι δὲ διηγηματικόν.*[3])

Transeo ad Romanos. Ac primum Porphyrionis ad Horatium adnotationes sunt afferendae. Scriptum enim legimus[4]) ad serm. I, 4, 14: ‚accipe si vis ‘accipiam’: ‘tabulas accipiamus’ ait. mimetico autem charactere provocantem ad scribendum Crispinum ostendit’. ad serm. I, 4, 34: ‚fenum habet in cornu longe fugetr. imitativo charactere hoc fingit eum dicere, qui ob conscientiam peccatorum timeat maledicum poetam’. ad serm. I, 9, 1: ‚totum hunc sermonem dramatico charactere alterno sermone variat’. ad. serm. II, 3, 187: ‘ne quis humasse velit. adnotandum, quod dialogicon fecit. introduxit enim quendam altercantem cum Agamemnone, ut doceret saniores esse eos, qui insani videntur, his, quos sanos putamus.’ ad serm. II, 7, 1: ‘Iam dudum ausculto. haec per *διάλογον*[5]) habet. loquitur enim cum servo Horatius.’ ad. epist. I, 18, 28: ‘et ait prope vera. bene, quod stulte dives de se

---

1) cf. Usenerum l. s. s. p. 616 adn. 2.

2) cf. Suidam s. v. *τραγῳδικόν*.

3) Maximus Planudes hanc habet bipartitionem in scholiis *εἰς ἰδεῶν τομ. β'*. vol. V p. 554, 22 W.: *τοῦ πανηγυρικοῦ τὸ μέν ἐστιν ποιητικόν, τὸ δὲ ἐν ζητήμασι πολιτικοῖς, τὸ δὲ ἐν λέξει πεζῇ εἰς τὸ ἀμοιβαῖον διαιρεῖται, ὃ καὶ δραματικὸν καὶ διαλογικὸν καὶ εἰς τὸ ἀφηγηματικόν.*

4) cf. ad serm. I, 2,129: ‚vepallida lecto desiliat mulier. quidam putaverunt vepallidam nunc unam partem orationis esse ut Vegrandi subere coctum, quod ait Persius Flaccus, ut significet ‘valde pallida’, sed mihi videtur ve imitativo charactere dictum, ut illa perturbata mariti adventu hanc lamentationis vocem proferat.’ Hoc autem loco illud imitativum alio adhibetur sensu atque ceteris Porphyrionis locis illud mimeticum, dramaticum, similia.

5) [Acro] ad Horat. serm. II, 3, 1 vol. II p. 137 ed. Keller adnotat: ‚Haec ergo satyra habet quasi dialogi genus.’ Simili ratione scriptum legimus in schol. ad Persii sat. I, 1 p. 247 Jahn.: ‚hoc velut dialogi genus in principio ex persona interrogantis inducit.’ Ceterum scholia in Horatium vetustiora sub Acronis nomine tradita maxima ex parte esse referenda ad Helenium Acronem nuperrime demonstravit Graffunderus in mus. Rhen. vol. LX. (1905) p. 128 sqq.

cogitat, id tamen in paupere verum esse demonstrat; simul per mimesin loquentem divitem facit.'[1]) ad epist. II, 2, 63: 'renuis tu quod iubet alter. mire iam dramatico charactere tamquam ad ipsos convivas loquitur unum quemque eorum appellans id poscentem, quod ceteris displicet.'

Sed ad aliam quaestionem accedamus. Nam exegetici generis species a Diomede p. 54, 1 Kaibel. allatas respondere eis, quae in tractatu Coislin. *ἀμιμήτῳ* generi attribuuntur, demonstravit Immischius l. s. s. p. 264 sqq. Neque vero in singulis artis vocabulis congruunt. Itaque e re esse mihi videtur in haec inquirere, id quod, quantum video, nemo adhuc fecit. *ἱστορική* autem affertur ab utroque auctore. Quod poesis genus excoluit Eumelus, id quod scriptum legimus in scholio ad Pindari Olymp. XIII, 74: *Εὔμηλός τις ποιητὴς ἱστορικός.*[2]) De Homero autem Eustathius hoc modo iudicat p. 409, 20 sqq.: *οὕτως εὐμηχάνως Ὅμηρος τὰς ἔξω τε τοῦ νῦν καιροῦ ἱστορίας ἐπεισοδιάζει τῇ ποιήσει καὶ ταῖς μεθόδοις αὐτὴν καταποικίλλει τῶν ἀφηγήσεων. ἕκαστον γὰρ τῶν ἐνταῦθα προσώπων ἄλλως καὶ ἄλλως μεθοδεύσας παρέθετο ἐκφεύγων ὡς εἴωθε τὸ μονοειδὲς καὶ ὕπτιον τοῦ ἱστορικοῦ ἀφηγηματικοῦ*[3]) et p. 1779, 30: *ὁ ποιητὴς ἱστορικὸν ἐπεισόδιον τῇ αὐτοῦ ποιήσει ἐγκατατίθεται.*[4])

Iam erit agendum de illo *παιδευτική*. Est autem ea poesis, qua et admonemur et erudimur. Illud *παιδευτικός*, si locorum ad artem poeticam spectantium habemus rationem, adhibetur in schol. ad Sophoclis Oedip. Tyrann. v. 946 (Scholia in Sophoclis Tragoedias vetera ed. Petrus N. Papageorgius p. 200, 7): *παιδευτικόν τι ἔγκειται τῷ δράματι ὡς οὐ δεῖ καταφρονεῖν τῶν θείων · οἱ γὰρ τοιαῦτα φθεγξάμενοι μετ' ὀλίγον φανήσονται οἷοί εἰσιν.* Loci autem, ubi *τὸ τῶν δραμάτων παιδευτικόν* in tragicorum scholiis tractatur, conlecti sunt a Trendelenburgio l. s. s. p. 128 sqq. Scholia nostra in Sophoclem Euripidemque cum ad Didymum,[5]) qui Aristophanis Byzantii pressit vestigia, sint referenda, primo a. Chr. n. saeculo illud *παιδευτικόν* in iudiciis ad artem poeticam pertinentibus esse usurpatum intellegimus.[6]) Apud Pollucem autem in Onomast. IV, 42 una commemoratur *παιδευτική* et *ὑφηγητική*. Scriptum enim legimus: *παιδευτικὴ δὲ τέχνη καὶ ἐξηγητικὴ καὶ ὑφηγητικὴ καὶ ἡγεμονική.* Praeterea a scriptoribus Byzantinis usurpatur illud *παιδευτικός*. Veluti in schol. ad Hesiodi *ἔργα καὶ ἡμέρας* vol. II p. 23, 3 Gaisf. scriptum legimus: *Ὁ σκοπὸς τοῦ βιβλίου παιδευτικός ἐστιν.* Atque etiam prooemium

---

[1]) cf. ad epist. I, 17, 46: 'indotata m. mimesis figura hoc est imitatio poscentis aliquid.' 61. 'credite non ludo. mimesis hoc est imitatio.'

[2]) Eiusmodi poetas ab Aristotele esse repudiatos inter omnes constat. cf. art. poet. 1451 b 1 sqq.

[3]) cf Adamium l. s. s. p. 41.

[4]) cf. Adamium l. s. s. p. 59.

[5]) cf. Trendelenburgium l. s. s. p. 54 sqq.

[6]) Plutarchus dicit *περὶ μουσικῆς* c. 27 vol. VI p. 512 Bern.: *ἐπὶ μέντοι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων τοσοῦτον ἐπιδέδωκε τὸ τῆς διαφθορᾶς εἶδος, ὥστε τοῦ μὲν παιδευτικοῦ τρόπου μηδεμίαν μνείαν μηδ' ἀντίληψιν εἶναι, πάντας δὲ τοὺς μουσικῆς ἁπτομένους πρὸς τὴν θεατρικὴν προσκεχωρηκέναι μοῦσαν.*

schol. ad Batrachomyom. commemoro, quod secundum ea, quae A. Ludwichius in editione sua p. 119 sqq. exposuit, auctori Byzantino attribui illud posse censeo. Haec sunt prooemii verba p. 198 Ludwich.: *διδάσκει δὲ πρότερον, τίνα μὲν βατράχων τὰ βρώματα, ποῖα δὲ τοῖς μυσί, καὶ ἐν τῷ μεταξὺ ἱστορίας τινὰς καὶ διδασκαλίας ἠθικὰς εἴτουν παιδευτικὰς παραδίδωσι, τοῖς νέοις φράσιν ὡραίαν καὶ λεκτικήν, ὅση τῇ ποιητικῇ χρήσιμος, καὶ ἱστορίαν καὶ μέτρον καὶ ἄλλα τὰ ὠφέλιμα καὶ τοῖς εἰςαγωγικοῖς τὰ ἐς ποίησιν χρήσιμα.* Quibus demonstratis ex illo *παιδευτικός* concludi posse nego, quanam aetate auctor tractatus Coislin. scripserit. Apud Diomedem autem alia invenitur dispositio: *παραγγελτική,*[1]) *ἱστορική, διδασκαλική,* id quod propterea factum esse iudico, quia cum *ἀμιμήτου ποιήσεως* species transferrentur ad enarrativum genus, *διδασκαλική* ultimum obtinuit locum, quod Vergilii Georgica hoc loco erant commemoranda. Nam illud *διδασκαλική* ex prolegomenis Vergilianis in Diomedis tractatum fluxisse mihi videtur. Scriptum enim legimus apud Servium in commentar. in Verg. Georg. vol. III, 1 p. 129, 9: 'hi libri didascalici sunt.' Eadem verba inveniuntur in schol. Bern. p. 840, 16 ed. Hagen. et in anonymi brevi expositione Vergilii Georgicorum vol. III, 2 p. 195, 1 ed. Thilo-Hagen. Illud vero *θεωρητικός*, quod praebet tractatus Coisl., magis philosophis convenit,[2]) illud *διδασκαλικός* nostro sermoni. Itaque ne *διδασκαλική* et *θεωρητική* quidem ansam nobis praebent ad quaestionem illam solvendam.

Sed ad illud *ὑφηγητική* accedamus. Neque vero de significatione dubitari potest. Nam cum illo *ὑφηγητική* comparanda esse ea, quae scripta exstant in schol. Londin. ad Dionys. Thrac. p. 450, 13 H., demonstravit Immischius l. s. s. p. 267. Ubi haec inveniuntur: *Γνωμολογικόν ἐστι τὸ γνώμας καὶ παραινέσεις καὶ ὑποθήκας ⟨περι⟩έχον πρός τινα.*[3]) Haec autem sententia eis comprobatur, quae scripta legimus in Crameri anecd. Paris. vol. IV p. 261, 19 *παρακολουθήματα γραμματικά* e codice 2720: *ὑφήγησις ἢ παραίνεσις.* Sed similem quandam vim habere mihi videtur *ὑφήγησις* in epistula illa Anaximenis arti rhetoricae praemissa[4]) rhet. Gr. vol. I, 2 p. 10, 6 ed. Spengel-Hammer.: *τίς γὰρ δὴ τοῦτ' ἂν ἀμφισβητήσειε τῶν νοῦν ἐχόντων, ὅτι τὸ μὲν πράττειν μὴ βουλευσάμενον*

---

[1]) cf. Kaibelium l. s. s. p. 64.

[2]) Plutarchus *περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν* 406 E vol. III p. 60 Bern. de philosophia hoc modo iudicat: *φιλοσοφία δὲ τὸ σαφὲς καὶ διδασκαλικὸν ἀσπασαμένη μᾶλλον ἢ τὸ ἐκπλῆττον, διὰ λόγων ἐποιεῖτο τὴν ζήτησιν.*

[3]) cf. Sextum Empir. ed. Bekk. p. 662, 27: *πρῶτον μὲν γάρ, ἵνα συνδράμωμεν αὐτοῖς μηδὲν ποιητικῆς κατειπόντες, ἀλλ' οὖν γε ἐκεῖνο πρόδηλόν ἐστιν, ὅτι ὁπόσα μὲν βιωφελῆ καὶ ἀναγκαῖα εὑρίσκεται παρὰ ποιηταῖς, οἷά ἐστι τὰ γνωμικὰ καὶ παραινετικά, ταῦτα σαφῶς αὐτοῖς πέφρασται καὶ οὐ δεῖται γραμματικῆς κτλ.*

[4]) Hanc epistulam tertio a. Chr. n. saeculo esse conscriptam demonstrare conatus est Wilamowitzius in Herm. vol. XXXIV (1899) p. 618. Nuperrime totam quaestionem Anaximeneam retractavit Wendlandius in Herm. vol. XXXIX (1904) p. 499 sqq. et in libro, qui inscribitur 'Anaximenes von Lampsacos' Berol. 1905 p. 26 sqq. Qui epistulam arti rhet. praemissam primo a. Chr. n. saeculo esse conscriptam docet adhibita Anaximenis ipsius praefatione. Wendlandii autem iudicio nonnulla in epistula illa inveniuntur, quae sunt propria hellenisticae elocutionis.

σημεῖόν ἐστιν ἀνοίας, τὸ δὲ κατὰ τὴν ὑφήγησιν τοῦ λόγου συντελεῖν τι τῶν ὑπ' ἐκείνου παραγγελθέντων παιδείας; qui locus secundum ea, quae Wendlandius in Herm. vol. XXXIX (1904) p. 502 et in libro, qui est de Anaximene Lampsaceno, p. 29 exposuit, Anaximeni ipsi mea quidem sententia est assignandus, praesertim cum scriptum legamus apud Demosthenem *περὶ στεφάνου* § 151: *κατὰ τὴν ὑφήγησιν τὴν τούτου*. Magnopere autem nostra interest hoc loco *παραγγέλλειν* commemorari. Nam apud Diomedem *παραγγελτική* eum tenet locum, quem habet in tractatu Coisl. *ὑφηγητική*. Huc accedit, quod in dialecto, quam *κοινήν* vocamus, saepius *ὑφηγητής* eundem sensum habet atque magister. Conferas velim ea, quae Cumontius dicit in prolegomenis ad Philonis de aeternitate mundi librum conscriptis p. XVI: „Nec minus insigne est vetera verba nova et eadem quidem qua apud Philonem, significatione usurpari. Quorum ex numero nonnulla sunt eximenda, ut quae in hellenistica graecitate sint trita ut *ὑφηγητής* et *γνώριμος* magister et discipulus." Illud autem *ὑφηγητικός* imprimis esse adamatum ab eis, qui philosophorum historiam tractabant, intellegi potest ex ea ratione, qua in Platonis dialogis disponendis utebantur.[1]) Veluti scriptum legimus in Albini *εἰςαγωγὴ εἰς τοὺς Πλάτωνος διαλόγους* c. 3 vol. VI p. 148 H: *περὶ μὲν οὖν χαρακτήρων ἐν τοῖς ἑξῆς τελεώτατα μετὰ ὑπογραφῆς εἰρήσεται, ἐνθάδε δὲ γνωστέον τοσοῦτον περὶ τῶν ἀνωτάτω χαρακτήρων, ὅτι δύο ὄντων, ὑφηγητικοῦ καὶ ζητητικοῦ, ὁ μὲν ὑφηγητικὸς ἥρμοσται πρὸς διδασκαλίαν καὶ πρᾶξιν καὶ ἀπόδειξιν τοῦ ἀληθοῦς, ὁ δὲ ζητητικὸς πρὸς γυμνασίαν καὶ ἀγῶνα καὶ ἔλεγχον τοῦ ψεύδους*. Eandem autem bipartitionem invenimus eisdem fere verbis compositam apud Diogenem Laertium III c. 49. Quem tripartitionem quoque novisse ex eis apparet, quae eodem loco c. 50 inveniuntur: *λέγουσι γὰρ αὐτῶν τοὺς μὲν δραματικούς, τοὺς δὲ διηγηματικούς, τοὺς δὲ μικτούς. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τραγικῶς μᾶλλον ἢ φιλοσοφίας τὴν διαφορὰν τῶν διαλόγων προσωνόμασαν*. Apud Proclum autem hanc invenimus tripartitionem in comment. in Platonis rem publ. vol. I p. 15, 19 Kroll.: *εἰ δὲ δὴ καὶ οὕτω τὰ εἴδη διαιροῖμεν ὥς τῶν Πλατωνικῶν τινες, εἰς τὸ ὑφηγητικὸν εἰς τὸ ζητητικὸν εἰς τὸ μικτόν, πάλιν καὶ τούτων τὸ μικτὸν ἐκλεξάμενοι τὴν πολιτείαν εἰς τοῦτο φέροντες ἀναπέμψομεν. καὶ γὰρ εἰσὶ μὲν καὶ ζητητικοί τινες ἐν αὐτῇ λόγοι πλείους, εἰσὶν δὲ καὶ ὑφηγητικοί, τοῦ Σωκράτους ἢ τὴν λύσιν ὑφηγουμένου τῆς ἀρίστης πολιτείας διὰ τοῦ λόγου τῶν Μουσῶν ἢ τῶν ἐν Ἅιδου τὴν σκηνὴν διὰ τοῦ Ἠρὸς ῥημάτων*. Eandem tripartitionem scriptam legimus in prolegomenis *τῆς Πλάτωνος φιλοσοφίας* c. 17 vol. VI p. 212 H, ubi singula genera hoc modo explicantur: *καί ἐστι μὲν ὑφηγηματικὸς τρόπος, ὅταν τὰ ἑαυτῷ δοκοῦντα δίχα πάσης ζητήσεως καὶ ἀποδείξεως προβάλληται, ζητηματικὸς δὲ ὅταν ζητῇ, μικτὸς δὲ ὁ ἐξ ἀμφοῖν συγκρινόμενος*. Auctores autem hoc loco allatos ex superiorum temporum fontibus hausisse et per se ipsum apparet et vel inde intellegi potest, quod a Proclo Platonici ipsi nominantur. In exemplis

---

[1]) Minime eis locis, quos infra afferam, comprobatur in tractatu Coislin. *ἀμίμητον ποίησιν* prosae orationis monumenta complecti, id quod male statuit Kaibelius l. s. s. p. 64.

autem enumeratis illud *ὑφηγητικός* docendi vim habere mihi videtur; simili ratione Alexandrinorum aetate illud esse usurpatum supra demonstravimus.[1])

Sed ut summam huius disputationis faciamus, intelleximus singula artis vocabula, quae inveniuntur in tractatu Coislin., ex philosophorum ratione dicendi maximam partem pendere. Imprimis autem illud *ὑφηγητική* hellenisticae graecitati esse attribuendum videtur. Sed si quaerimus, quomodo sit factum, ut Diomedes et tractatus Coisl. minime consentiant, mea quidem sententia res facile sic explicari potest, ut in communi fonte, ex quo et tractatus Coislin. et Diomedis auctor hausit, in singulis generibus bina vocabula exstiterint. Veluti apud Diomedem scriptum legimus eadem ratione: *δραματικόν* vel *μιμητικόν, ἐξηγητικόν* vel *ἀπαγγελτικόν, κοινόν* vel *μικτόν.*

Sed veniamus ad verba illa *κωμῳδία τραγῳδία μίμους σατύρους* sub finem § 1 tradita; quae saepe tractata summi sunt momenti. Nam verba illa plurimum valent ad mimi dramatici historiam inlustrandam. Quaeritur enim, quando *μῖμοι* in hunc ordinem ita sint relati, ut eundem obtinerent locum atque tragoediae et comoediae. De hac autem re viri docti dissentiunt. Immischius enim l. s. s. p. 264 dicit mimum post Aristotelis tempora in hunc ordinem esse redactum, Reichius autem in eo libro, qui inscribitur ‚Der Mimus', vol. I, 1 p. 252 sq. ad Aristotelem ipsum quattuor illa genera poeseos dramaticae esse referenda censet. Quam sententiam, quae lubrico nititur fundamento, optimo iure refutavit A. Koerteus in annalibus novis vol. XI (1903) p. 539 sqq. Eodem modo iudicat de Reichii argumentatione Herzogius in libro hebdom. philol. Berolin. 1904, 1055 atque Immischius in annalibus historicis, qui quarto quoque mense eduntur a G. Seeligero, vol. VII (1904) p. 398. Praeterea cf. Literar. Zentralbl. 57 (1906) 251 sqq. Nam interest aliquid inter Sophronis et Xenarchi mimos, qui prosa oratione erant compositi, et mimos dramaticos. Reichius hoc cum plane neglexerit, valde erravit. Sed quaeritur, quid Aristoteles de mimo iudicaverit. Scriptum enim legimus apud Athenaeum XI p. 505 c.: *Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῷ περὶ ποιητῶν οὕτως γράφει· οὐκοῦν οὐδὲ ἐμμέτρους ⟨ὄντας⟩*[2]) *τοὺς καλουμένους Σώφρονος μίμους μὴ φῶμεν εἶναι λόγους καὶ μιμήσεις μὴ* (*ἢ* cod.) *τοὺς Ἀλεξαμενοῦ τοῦ Τηΐου τοὺς πρότερον* (*πρώτους* cod.) *γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγους* (*διαλόγων* cod.). Atque in arte poet. c. 1 p. 1447 b. 1 haec inveniuntur: *οὐδὲν γὰρ ἂν ἔχοιμεν ὀνομάσαι κοινὸν τοὺς Σώφρονος καὶ Ξενάρχου μίμους καὶ τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους, οὐδὲ εἴ τις διὰ τριμέτρων ἢ ἐλεγείων ἢ τῶν ἄλλων τινῶν τῶν τοιούτων ποιοῖτο τὴν μίμησιν.* Quibus ex locis intellegimus Aristotelem tantummodo Sophronis mimos novisse, non dramaticos.[3]) Itaque locus

---

[1]) cf. Galenum *περὶ τῶν τῆς ψυχῆς ἠθῶν κεφ. ια'* vol. IV p. 814, 9 Kühn.: *Οὔκουν ἀναιρετικὸς ὅδ' ὁ λόγος ἐστὶ τῶν ἐκ φιλοσοφίας καλῶν. ἀλλ' ὑφηγητικός τε καὶ διδασκαλικὸς ἀγνοουμένου τινὸς ἐν αὐτοῖς τῶν φιλοσόφων.* In antecedenti autem capite agitur de Platone.

[2]) cf. Kaibelium CGF. p. 152.

[3]) Platonem quoque Sophronis mimos novisse atque adamasse cognosci potest ex Diogenis Laertii lib. III, 18: *Δοκεῖ δὲ Πλάτων καὶ τὰ Σώφρονος τοῦ μιμο-*

ille tractatus Coislin., ubi mimum dramaticum dici apparet, minime ex Aristotelis doctrina potest esse sumptus.

Sed quaeritur, quisnam mimum pari gradu esse atque tragoediam et comoediam primus voluerit. Qua in re absolvenda nobis erit confugiendum ad Philodemum. Sed Sophronis mimi utrum in poematum numero sint habendi necne, ille dubitare mihi videtur. Scriptum enim legimus in Philodemi *περὶ ποιημάτων* libri II fragm. ab Hausrathio in annal. Fleckeisen. suppl. vol. 17 (1890) publici iuris factis fr. 72 p. 270: *[νομί?]ζων καὶ αὐτὸς εἶναι ἐκεῖνα ποήματα ἔ[φη, καὶ?] μὴ μόνα καὶ γὰρ [τὰ τοῦ] Σώφρονος καὶ τὰ [πολλῶν?] ἄλλων μιμογρ[άφων] εἴποτε πόημα[τ' ὀρθῶς*[1]*)? λέ]γεται.* Gemellus locus exstat apud Duebnerum in eo libello, qui inscriptus est: ‚Philologis Gothae conventum agentibus s. p. d. Fredericus Duebner. insunt fragmenta Philodemi *περὶ ποιημάτων*' (Parisiis 1840) p. 13 lin. 10 sqq.: *τῶν τοίνυν παρὰ τῷ Φιλομήλῳ γεγραμμένων οἱ μὲν οἰόμενοι τὸν ἐν τοῖς μύθοις καὶ ταῖς ἄλλαις ἠθοποιίαις κἂν τῇ λέξει παραπλησίως ἐκλάμποντα ποητὴν ἄριστον εἶναι, λέγουσι μὲν ἴσως ἀληθές τι, τὸν δὲ ποητὴν τὸν ἀγαθὸν συνορίζουσι κατὰ μιμογράφου καὶ ἀρεταλόγου, ἀλλ' οὐ συγγραφέως ἀρετήν, ἄν τις εὖ ὁρίζῃ ταύτην.* Gomperzius autem in ephemeride: Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien 1865 vol. XVI p. 724 hunc locum hac supplet ratione: *τὸν δὲ ποητὴν τὸν ἀγαθὸν οὐ διορίζουσι· καὶ γὰρ μιμογράφου καὶ ἀρεταλόγου ἀλλ' οὐ συγγραφέως ἀρετὴν ἄν τις ... ταύτην.* Quibus ex duobus locis concludendum esse iudico mimographos a Philodemo parvi esse aestimatos, praesertim cum illud *ἀρεταλόγος* sit additum. Itaque censeo l. s. s. verba illa *εἴποτε ποήματα λέγεται* recte esse suppleta a Gomperzio l. s. s. Quae cum ita sint, Sophronis mimos a Philodemo in poematum numero esse habitos nego.[2]) Sed mimi una cum tragoediis et comoediis in eius voluminibus rhetoricis commemorantur. Ubi scriptum legimus in Sudhausii editione vol. I p. 194, 8: *Καὶ νὴ Δ[ία εἰ] μὲν καὶ τὴν ἐν [τ]ραγῳδίᾳ κα[ὶ κω]μῳδίᾳ καὶ μ[εί]μοις καὶ το[ῖς] ἀναλόγοις ὑπόκρισιν [περι]τιθέασιν τῇ ῥητορικ[ῇ], μακαρίζομεν αὐτοὺς τ[ῆ]ς συνέσεως.*[3])

γράφου βιβλία ἠμελημένα πρῶτος εἰς Ἀθήνας διακομίσαι καὶ ἠθοποιῆσαι πρὸς αὐτά· ἃ καὶ εὑρεθῆναι ὑπὸ τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ, et ex Athenaeo XI, 504 b: *καὶ ὁ τοὺς μίμους δὲ πεποιηκώς, οὓς αἰεὶ διὰ χειρὸς ἔχειν Δοῦρίς φησι τὸν σοφὸν Πλάτωνα, λέγει που 'κἠκρατηρίχημες' ἀντὶ τοῦ 'ἐπεπώκειμεν'.* cf. Wilamowitzium, Textgeschichte der griechischen Lyriker in commentat. acad. Gotting. philol.-hist. classis novae ser. vol. IV (1900) p. 28.

[1]) Illud *ὀρθῶς* esse probandum negat Gomperzius in relat. acad. Vindob. phil.-hist. class. vol. 123 (1890) p. 77.

[2]) cf. Hausrathium l. s. s. p. 236.

[3]) Hunc locum debeo Marxii scholis. — Strillerus affert in dissertatione sua, quae inscribitur de Stoicorum studiis rhetoricis p. 11 adn. 3 (in comment. philolog. Vratislav. vol. I) anonymi verba vol. II p. 1 extr. Walz.: *τῆς δὲ ὑποκρίσεως ἵνα καὶ τῷ σχήματι καὶ τῇ φωνῇ ὡς ἂν τραγῳδὸς ἄριστος τοῖς λεγομένοις συσχηματίζηται.* Edadem fere verba inveniuntur in anonymi prolegomenis *περὶ ῥητορικῆς* vol. VI p. 35, 16 Walz.: *Ἡ δὲ ὑπόκρισίς ἐστιν, ἵνα καὶ τῷ σχήματι καὶ τῷ βλέμματι καὶ τῇ φωνῇ ὡς ἂν τραγῳδὸς ἄριστος καλῶς τοῖς λεγομένοις συσχηματίζηται.* Suspicatur autem Strillerus haec ad Stoica praecepta esse referenda. Sed equidem dubito, rectene iudicaverit vir doctus. Dicit enim Dionysius Halicarn. de Demosthene c. 53 vol. I p. 244 ed. Usener-Raderm.: *τεκμήραιτο δ' ἄν τις, ἡλίκην ἰσχὺν τοῦτο*

Quae verba in ea parte librorum *περὶ ῥητορικῆς* inveniuntur, in qua Philodemus de pronuntiatione disputat. Tota autem haec doctrina ad Peripateticorum praecepta mihi quidem videtur spectare. Nam primus, quantum video, *περὶ ὑποκρίσεως* libellum scripsit Theophrastus.[1]) Quae cum ita sint, non miror, quod apud Philodemum complurium Peripateticorum de pronuntiatione iudicia inveniuntur. Imprimis nominatur Demetrius Phalereus Theophrasti discipulus, cuius verba scripta exstant vol. I p. 197 lin. 24 sqq.: *παρὰ δ[ὲ τῶ]ι Φαληρεῖ λέγεται τὸ ποικίλον μὲν αὐτὸν ὑποκρ[ι]τὴν γεγονέναι καὶ περ[ιτ]τόν, οὐχ ἁπλοῦν δὲ οὐδὲ κατὰ τὸν γενναῖον τρόπον, ἀλλ' εἰς τὸ μαλακώ[τερο]ν καὶ ταπεινότερον ἀποκλε[ίνον]τα. Οἵ δ' οὖν πολλοὶ τ[ῶν] σοφι[στῶν] ἐοίκασι[ν, ἐ]ξ ὧ[ν γ]εγράφ[α]σιν, ἀθλίως ὑποκεκρίσ[θαι·] πονηρ[ὸ]ν γὰρ ε[ἰς] ὑπόκ[ρι]σιν αἱ [μα]κραὶ περίοδοι, καθάπερ καὶ παρὰ [Δη]μη[τρί]ωι [κ]εῖται περὶ τῶ[ν Ἰ]σο[κρά]τους.* In eis autem, quae secuntur, affert Philodemus verba Hieronymi Peripatetici,[2]) qui de Isocrate iudicium profert.[3]) Conlegit autem Hieronymi Rhodii fragmenta Hillerus in satura philologa Hermanno Sauppio oblata p. 85 sqq. Eadem Hieronymi verba exscripsisse Dionysium Halic. de Isocrate iud. 13 Hillerus l. s. s. p. 113 demonstravit. Accedit autem alterum argumentum. Sub finem enim totius disputationis, quae est de actione, apud Philodemum vol. I p. 201 lin. 19 sqq. haec legimus: *Ῥήτορι μὲγ γὰρ ἡ τοιαύτη, τάχα δὲ καὶ τῷ πολειτικῷ, καὶ τῷ σοφι[στ]ῇ διαφόρ[ως ἑ]τέρα προσήκει, [φιλ]οσόφῳ δὲ ἑτέρα, τοῖς δ' [ἀπ'] ἄλλων μαθημάτων [ἄλλη].* Hoc autem loco oratorum pronuntiatio actioni philosophorum opponitur simili ratione atque poetarum oratorumque elocutio philosophorum rationi dicendi apud Ammonium (p. 65, 22 sqq. Busse.):[4]) *τοῦ λόγου σχέσεις ἔχοντος τὴν μὲν πρὸς τοὺς ἀκροατὰς τὴν δὲ πρὸς τὰ πράγματα, τὴν μὲν πρὸς τοὺς ἀκροατὰς ποιηταὶ καὶ ῥήτορες διώκουσι, τὴν δὲ πρὸς τὰ πράγματα φιλόσοφοι.*[5]) Quae verba sunt Theophrasti. Itaque iudico hunc quoque Philodemi locum ex Peripateticorum doctrina emanasse. Praeterea alii auctores nominantur a Philodemo. Scriptum enim legimus vol. I p. 196 col. XV[a] lin. 3: *Νὴ Δι' ἀλλὰ Δημοσθένης καὶ πρῶτον ἔλεγε καὶ*

τὸ στοιχεῖον ἔχει, καταμαθών, ὅσον ἀλλήλων ἀλλάττουσιν οἱ τραγῳδίας τε καὶ κωμῳδίας ὑποκρινόμενοι. Dionysius autem ex fontibus Peripateticis pendere in capite supra allato propterea mihi videtur, quia l. s. s. lin. 20 Demetrius Phalereus nominatur et lin. 23 sqq. haec scripta exstant: *ἡ λέξις μὲν οὖν εἴποιμ' ἄν, οἰκείως κατεσκεύασται πρὸς ταῦτα, μεστὴ πολλῶν οὖσα ἠθῶν καὶ παθῶν καὶ διδάσκουσα, οἵας ὑποκρίσεως αὐτῇ δεῖ.* Similia inveniuntur apud Longinum in arte rhet. vol. I, 2 p. 196, 2 ed. Spengel-Hammer.: *δυνήσῃ δὲ καὶ παρὰ τῶν τῆς τραγῳδίας ὑποκριτῶν καὶ κωμῳδίας τῶν ἀρίστων, παρ' ὅσον ποιεῖ τὴν εὔνοιαν ἢ τὴν ἀηδίαν ἑκάτερον αὐτῶν τό τε ἐν ὑποκρίσει καὶ ἄνευ ταύτης, καταμανθάνειν.* Atque Longinus ipse quoque mea quidem sententia ex Peripateticis fontibus hausit. Itaque ad eos tota haec doctrina mihi videtur esse referenda.

1) cf. Volkmanni librum: Die Rhetorik der Griechen und Römer[2] (1885) p. 29.

2) cf. Susemihlium: Geschichte der griech. Litteratur in der Alexandrinerzeit I p. 148 sqq.

3) cf. Sudhausium in mus. Rhen. vol. XLVIII (1893) p. 335.

4) cf. Wimmerum, Theophrasti opera vol. III fr. 64. 65.

5) cf. Immischium l. s. s. p. 255.

δεύτερον καὶ τρίτον εἶναι τὴν ὑπόκρισιν ἐν τ[ῇ ῥητο]ρικῇ,[1]) *Καλλιπί[δης δ]ὲ καὶ Νεικόστρατος — ἐγὼ φήσ[ω] — τὸ πᾶν ἐν τραγῳδίαι, Λύκων δ' ἐν κωμῳδ[ία]ι.* Demosthenis verba item afferuntur a Cicerone de oratore III, 56, 213. Brut. 38, 142. or. 17, 56 et a Quintiliano in instit. or. lib. XI, 3, 6; quibus omnibus locis agitur de pronuntiatione. Praeterea illius dictum invenitur apud Longinum in arte rhet. vol. I, 2 p. 195 ed. Spengel-Hammer. et apud C. Iulium Victorem c. XXIV p. 440 rhet. Lat. min. Halm. Ciceronem autem ipsum quoque ex Peripateticorum doctrina pendere iudico. Affert enim de orat. III, 59, 221 Theophrasti verba: ‚Theophrastus quidem Tauriscum quendam dicit actorem aversum solitum esse dicere, qui in agendo contuens aliquid pronuntiaret.' Haec autem sententia modo prolata confirmari mihi videtur eis, quae in anonymi prolegomenis *περὶ ῥητορικῆς* vol. VI p. 35, 28 sqq. Walz. scripta exstant. Ubi Demosthenis sententia commemorata pergit auctor hisce verbis: *Τινὲς δέ φασιν, ἀπὸ ὀργῆς Δημοσθένην τοῦτο εἰπεῖν, φημὶ δὴ τὸ ῥητορική ἐστιν ὑπόκρισις, διά τό ποτε κακῶς ὑποκρινάμενον μὴ πεῖσαι δυνηθῆναι. πλὴν καὶ Θεόφραστος ὁ φιλόσοφος ὁμοίως φησὶν εἶναι μέγιστον ῥητορικῇ πρὸς τὸ πεῖσαι τὴν ὑπόκρισιν,*[2]) *εἰς τὰς ἀρχὰς ἀναφέρων καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς καὶ τὴν κατανόησιν τούτων, ὡς καὶ τῇ ὅλῃ ἐπιστήμῃ σύμφωνον εἶναι τὴν κίνησιν τοῦ σώματος καὶ τὸν τόνον τῆς ψυχῆς* (immo *φωνῆς*).[3]) Conferas velim ea, quae Cicero l. s. s. § 213 dicit: ‚Actio . . . in dicendo una dominatur.' Theophrasti autem verba in sermonem Latinum vertisse mihi videtur rhetoricae auctor incertus qui dicitur ad Herennium, lib. III, 11, 19: ‚Pronuntiationem multi maxime utilem oratori dixerunt esse ⟨et⟩ ad persuadendum plurimum valere.' Sed restat, ut de initio totius Philodemi de pronuntiatione disputationis agam. Ubi commemoratur Athenaeus, qui fuit altero a. Chr. n. saeculo.[4]) Hoc profertur de actione iudicium vol. I p. 193, 12 sqq. Sudhaus.: *[Τ]ού[του το[ιγ]α[ρ]οῦν ὄντος [δι]εξ[ίασι] † τὸ μερῶν τινὲς [μ]ὲν τ[ῆς] τέχνης, Ἀθήναιο[ς δὲ τ]οῦ λόγου τὴν ὑπόκρισ[ιν, καὶ ὅ]τ[ι] μὲν ταῦτά τις [ἔχ]ων καὶ σεμνότερος [αὐ]τὸς φαίνεται καὶ προσέχειν μ[ᾶλ]λον ποιεῖ τὸν ἀκούο[ντα] καὶ συνιέναι καὶ μνημονεύειν καὶ κεινεῖσθαι παθητικῶς ἄλλων [οὐχ ὁμ]οίως ταῦτα δρώντων, ὁμολογοῦμεν.* In his quoque verbis Peripateticorum doctrina inesse mihi videtur. Habemus enim illam *σχέσιν πρὸς τοὺς ἀκροατάς,* quam poetae atque oratores sectantur.

---

[1]) Dionysius Halic. de Demosthenis pronuntiatione hoc profert iudicium vol. I p. 177 (1022 lin. 15 sqq.) Usener-Raderm.: *πῶς τότε Ἀθηναῖοί τε καὶ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἤγοντο ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἐπὶ τῶν ἀληθινῶν τε καὶ ἰδίων ἀγώνων, αὐτοῦ λέγοντος ἐκείνου τὰ ἑαυτοῦ μετὰ τῆς ἀξιώσεως, ἧς εἶχε, τὴν αὐτοπάθειαν καὶ τὸ παράστημα τῆς ψυχῆς ἀποδεικνυμένου, κοσμοῦντος ἅπαντα καὶ χρωματίζοντος τῇ πρεπούσῃ ὑποκρίσει, ἧς δεινότατος ἀσκητὴς ἐγένετο, ὡς ἅπαντές τε ὁμολογοῦσι καὶ ἐξ αὐτῶν ἰδεῖν ἔστι τῶν λόγων κτλ.* cf. Sudhausii Philod. vol. rhet. suppl. praef. p. XXXVII, ubi agitur de notionibus *ἄσκησις* et *παρατήρησις*, quae spectare videntur ad Critolai doctrinam.

[2]) Theophrasti doctrina subesse mihi videtur apud Longinum l. s. s. p. 194: *δύναται δὲ μέγιστον εἰς πίστιν.* Simili ratione iudicat de actione Aristoteles ipse in arte rhet. lib. III c. 1 p. 1403 b. 21.

[3]) cf. Strillerum l. s. s. p. 12.

[4]) cf. Brzoskam apud Pauly-Wiss. s. v. Athenaeus No. 21 (vol. II, 2025).

Quae erat Theophrasti doctrina, ut supra demonstravimus. Praeterea magnopere interesse nostra mihi videtur eo loco, ubi τραγῳδίαι, κωμῳδίαι, μεῖμοι commemorantur, artis poeticae actionem transferri ad rhetoricam. Ex quo intellegitur arte inter se illas cohaerere, sicuti Theophrastum poetas et oratores una commemorasse supra diximus. Ceterum haec Philodemi verba vol. I p. 196 Col. XIV^{a} 8 sqq. Sudhaus.: [Τὰ π]ολλὰ δὲ [ἡ] τῶν παθῶν αὐτῶν δι[αφο]ρὰ σχηματ[ί]ζει καὶ [τὸ σῶ]μ[α] καὶ τὴ[ν] φων[ὴν] π[αραλ]λα[ττ]όντως · ὅ[θεν καὶ τ]οὺς ἰδιώτας καὶ τ[ο]ὺς βαρβάρους, εἰ μὴ καὶ τἄλ[λ]α ζῷα, τοῖς πάθεσιν ἀκολούθους τὰς μεταβολὰς ἔχοντας θεωροῦμεν. Τινὰ δ', ὧν παραγγέλλουσιν οὗτοι, καὶ φυσικῆς εὐκ[ληρί]ας δεῖται, κ[α]θάπερ εὐμέλε[ι]α φωνῆς καὶ μεγέθη καὶ τόνοι καὶ πνεῦμα, καὶ προσώπου καὶ [χ]ειρῶν καὶ τοῦ λοιπο[ῦ] σώματος ἀξίωμά τε καὶ ῥυθμοί, καὶ τόλμα καὶ τοιαῦτ' ἄ[λ]λα apparet esse referenda ad haec Aristotelis in arte rhet. lib. III c. 1 p. 1403 b 18: τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐζητήθη κατὰ φύσιν, ὅπερ πέφυκε πρῶτον, αὐτὰ τὰ πράγματα, ἐκ τίνων ἔχει τὸ πιθανόν, δεύτερον δὲ τὸ ταῦτα τῇ λέξει διαθέσθαι, τρίτον δὲ τούτων ὃ δύναμιν μὲν ἔχει μεγίστην, οὔπω δ' ἐπικεχείρηται, τὰ περὶ τὴν ὑπόκρισιν et lin. 24: δῆλον οὖν ὅτι καὶ περὶ τὴν ῥητορικήν, ὅ περ ἕτεροί τινες ἐπραγματεύθησαν καὶ Γλαύκων ὁ Τήιος. ἔστι δὲ αὐτὴ μὲν ἐν τῇ φωνῇ, πῶς αὐτῇ δεῖ χρῆσθαι πρὸς ἕκαστον πάθος, οἷον πότε μεγάλῃ καὶ πότε μικρᾷ καὶ μέσῃ καὶ πῶς τοῖς τόνοις, οἷον ὀξείᾳ καὶ βαρείᾳ καὶ μέσῃ καὶ ῥυθμοῖς τίσι πρὸς ἕκαστα. τρία γάρ ἐστι περὶ ἃ σκοποῦσιν · ταῦτα δ' ἐστὶ μέγεθος ἁρμονία ῥυθμός. Quibus demonstratis censeo totam Philodemi de pronuntiatione disputationem deberi Peripateticorum doctrinae. Sed quaeritur, quisnam fuerit Philodemi auctor. Qua in re ansa nobis praebetur eo iudicio, quod de pronuntiatione profertur aqud Philodemum l. s. s. p. 200 col. XIX^{a} lin. 3 sqq.: Οἱ δὲ τεχνογράφοι καὶ φανερὸν καθιστᾶσιν τὸ κατ' ἀλήθειαν μὲν ὑπάρχον, ἐπικρυπτόμενον δ' ὑπὸ τῶν πολειτικῶν, ὅτι τοῦ φανῆναι σεμνοὶ καὶ καλοὶ κἀγαθοί, μάλιστα δ[ὲ τ]οῦ πλ[α]νῆσαι τοὺς ἀκού[οντας,][1]) ἔτι δὲ τοῦ δεινῶσαι μεθοδεύουσι τὰς ὑποκρίσεις, ὧν οὐδενὸς ὁ τῶν ἄλλων τεχνείτης, οὐχ ὅτι τῶν κατὰ φιλοσοφίαν προσδεῖται. Neque vero quisquam dicet hoc loco bene esse iudicatum de actione. Omnino autem dicendum est toto Philodemi de pronuntiatione capite in scholis ὑπόκρισιν esse exercendam negari. Itaque actio in artium numero non habetur. Quae cum ita sint, censeo Philodemum

---

[1]) cf. Sudhausium l. s. s. p. XI sqq. et p. XXXVII. cf. Longinum l. s. s. p. 195: ἡ δὲ ὑπόκρισις ἀπάτη δελεάζουσα καθέλκει τὴν γνώμην τοῦ κριτοῦ πρὸς τὸ δοκοῦν τῷ λέγοντι. Ceterum meo quidem iudicio certa quaedam ratio intercedit inter Longinum et doctrinam Peripateticam, quam apud Philodemum invenimus. Neque enim est neglegendum haec Longini verba (rhet. Gr. vol. I, 2 p. 194 ed. Spengel-Hammer.): Ὑπόκρισίς ἐστι μίμησις τῶν κατ' ἀλήθειαν ἑκάστῳ παρισταμένων ἠθῶν καὶ παθῶν καὶ διάθεσις σώματός τε καὶ τόνου φωνῆς πρόσφορος τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασι comparata cum Aristotelis verbis, quae inveniuntur in arte rhet. lib. III c. 12 p. 1413 b 8 sqq.: ἔστι δὲ λέξις γραφικὴ μὲν ἡ ἀκριβεστάτη, ἀγωνιστικὴ δὲ ἡ ὑποκριτικωτάτη. ταύτης δὲ δύο εἴδη · ἡ μὲν γὰρ ἠθικὴ ἡ δὲ παθητική doctrinam Peripateticam videri praebere. cf. Angermannum de Aristotele rhet. auct. p. 6. Fortasse est operae pretium totam de pronuntiatione quaestionem alio loco copiosius tractare.

hoc totum de pronuntiatione caput debere Critolao Peripatetico, qui Quintiliano teste (II, 17, 15) contra rhetoricam scripsit. Huc accedit, quod aliis quoque locis Philodemum ex Critolao hausisse nuperrime demonstravit O. Angermannus in dissertatione, quae inscribitur ‚de Aristotele rhetorum auctore' (Lips. 1904) p. 6 sqq. et 30 sq. Hoc si accipimus, apparere iudico, qua de causa Athenaeum appellaverit. Floruit enim eadem aetate atque Critolaus et Hermagoras.[1]) Quam ob rem verba illa *τραγῳδίᾳ καὶ κωμῳδίᾳ καὶ μείμοις* fortasse ipsa quoque sunt attribuenda saeculo a. Chr. n. alteri. Exsistit sane apud Graecos dramaticus mimus tertio a. Chr. n. saeculo exeunte.[2]) Sed certum est, id quod ex aliis locis intellegi potest, primo a. Chr. n. saeculo mimum pari fuisse gradu atque comoediam et tragoediam. Summi autem momenti hanc esse observationem ad mimi dramatici historiam investigandam inter omnes constat.

Alio quoque Philodemi loco comoedia una cum mimis nominatur. Scriptum enim legimus vol. I p. 340 col. XXXVI, 7: *κἀκεῖν' οὐδὲ σοφῶν ἀλλο[τρίων] οὐχ ὅ[τι] νεώτερον [ἡ]γήσεται κα[ὶ π]ολλῷ μᾶλλον ἢ κω-[μῳδ]ίας ἢ καὶ μίμους οἶμ[αι . . . .]*. Neque vero quicquam de conexu sententiarum hoc loco constat. Iam ad alium auctorem Graecum primi a. Chr. n. saeculi transeamus. Scriptum enim legimus apud Asclepiadem Myrleanum[3]) in Sexti Emp. adv. gramm. lib. § 252 p. 655, 25 B.: *τῆς γὰρ ἱστορίας τὴν μέν τινα ἀληθῆ εἶναί φησι τὴν δὲ ψευδῆ τὴν δὲ ὡς ἀληθῆ, καὶ ἀληθῆ μὲν τὴν πρακτικήν, ψευδῆ δὲ τὴν περὶ πλάσματα καὶ μύθους, ὡς ἀληθῆ δὲ οἷα ἐστὶν ἡ κωμῳδία καὶ οἱ μῖμοι.* Hoc igitur loco mimum una cum comoedia nominari videmus. Apud Sextum Emp. autem l. s. s. § 263 p. 658, 21 haec inveniuntur: *Πρὸς τούτοις ἐπεὶ τῶν ἱστορουμένων τὸ μέν ἐστιν ἱστορία, τὸ δὲ μῦθος, τὸ δὲ πλάσμα, ὧν ἡ μὲν ἱστορία ἀληθῶν τινῶν ἐστὶ καὶ γεγονότων ἔκθεσις, ὡς ὅτι Ἀλέξανδρος ἐν Βαβυλῶνι δι' ἐπιβούλων φαρμακευθεὶς ἐτελεύτα, πλάσμα δὲ πραγμάτων μὴ γενομένων, ὡς αἱ κωμικαὶ ὑποθέσεις καὶ οἱ μῖμοι, μῦθος δὲ πραγμάτων ἀγενήτων καὶ ψευδῶν ἔκθεσις κτλ.* Quae tripartitio, quamquam singula artis vocabula non congruunt cum eis, quae l. s. s. apud Asclepiadem invenimus, rebus tamen respondet illius doctrinae.

Sed videamus, quando apud Romanos mimi innotuerint. Primum[4]) autem vestigium invenitur in lapide Amiterni invento. Titulus enim in mimi sepulcro inscriptus ibi traditur, quod carmen Buecheleri sententia carm. Lat. epigr. No. 361 p. 170. Enniana aetate non multo est posterius. Floruisse autem mimum apud Romanos primo a. Chr. n. saeculo est notissimum. Itaque illius aetatis scriptores mimos eorumque poetas saepius commemorant. Veluti Cicero dicit in epist. ad fam. lib. XII, 18, 2:

---

[1]) cf. Thieleum: Hermagoras p. 182 sqq.
[2]) cf. Watzingerum in ‚Mitteilungen des archäol. Instituts, Athen. Abt.' vol. XXVI (1901) p. 1 sqq. et Crusium in comment. in honorem Gomperzii conscriptis (1902) p. 384 sqq.
[3]) cf. B. A. Muellerum: de Asclepiade Myrleano p. 10.
[4]) Festi verborum p. 326, 31. Mueller. rationem non habeo, quia totus locus est lacunosus.

'Equidem sic iam obdurui, ut ludis Caesaris nostri animo aequissimo viderem T. Flaccum, audirem Laberi et Publili poemata.' Atque Horatius dicit sat. I, 10, 5. 6:

'Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera: nam sic
Et Laberi mimos ut pulchra poemata miror.'

Digna autem sunt, quae commemorentur, Ciceronis verba in epist. ad fam. lib. IX, 16, 7: 'Nunc venio ad iocationes tuas, quoniam tu secundum Oenomaum Acci non, ut olim solebat, Atellanam, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti.' Fabula enim Atellana mimo antecedebat. Itaque apud Diomedem p. 53 K. scriptum legimus: 'apud Romanos praetextata, tabernaria, Atellana, planipes.' Planipes enim apud Romanos vocabatur mimus.[1]) Apud Quintilianum mimus una cum comoedia commemoratur simili ratione atque apud Philodemum. Scriptum enim legimus in inst. or. IV, 2, 53: 'est autem quidam et ductus rei credibilis, qualis in comoediis etiam et in mimis.'

Sed in eis, quae praecedunt, demonstravisse mihi videor primo a. Chr. n. saeculo mimum dramaticum floruisse atque id imprimis apud Romanos. Quos mimum quoque introduxisse Graecorum secutos rationem statuendum esse iudico. Itaque magna cum probabilitatis specie existimare videmur altero a. Chr. n. saeculo apud Graecos mimum dramaticum exstitisse. Neque vero Aristoteles aut Theophrastus eum novit, id quod Reichius l. s. s. dicit. Quae cum ita sint, Usenerus in relat. acad. Bavar. 1892 p. 621 optimo iure negat mimi definitionem aqud Diomedem traditam esse referendam ad Theophrastum.

Nec vero ineptum mihi videtur hoc loco poesis Latinae partitionem tractare, quae cum Diomedis de poematibus capite cohaerere mihi videtur. Scriptum enim legimus in anonymi excerptis apud Keilium G. L. VI p. 274: 'actuale est, quod Graeci drasticon dicunt, ubi poeta † lyrica, tragoedia, satyrica, praetextata, comoedia, tabernaria, Atellana, Rhintonica, mimica.' Lacuna autem, quae hiat inter 'poeta' et 'lyrica', facile potest suppleri ex eis, quae scripta legimus apud Keilium l. s. s. p. 312, 7: 'Epos sive dactylicum, epigramma, iambica, lyrica, tragoedia, satira, praetextata, comoedia, tabernaria, Atellana, Rhintonica, mimica.' Videmus igitur initio huius partitionis quattuor illa genera: epos, elegia,[2]) iambica, lyrica, de quibus supra egimus. Praeterea quattuor illa: tragoedia, satyrica, comoedia, mimica respondent eis, quae praebet Diomedes. Restat, ut pauca dicam de quattuor illis generibus: praetextata, tabernaria, Atellana, Rhintonica. Illud 'Rhintonica' male esse positum pro 'planipes' apparere iudico. In prolegomenis ad Terentium conscriptis similia inveniuntur. cf. Donati commentum Terenti ed. a Wessnero I p. 21: 'Illud vero tenendum est, post νέαν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protulisse, ut togatas ab scaenicis atque argumentis Latinis, praetextatas a dignitate personarum tragicarum

[1]) cf. Diomedem p. 59, 198 Kaibel.

[2]) Pro 'elegia' supra esse positum 'epigramma' iudico. cf. Jacobyum in mus. Rhen. vol. LX (1905) p. 464: „Die Theorie hat dagegen nie zwischen Elegie und Epigramm geschieden.“

ex Latina historia, Atellanas a civitate Campaniae, ubi actitatae sunt primae, Rhintonicas ab auctoris nomine, tabernarias ab humilitate argumenti ac stili, mimos ab diuturna imitatione vilium rerum ac levium personarum.' Similem fabularum Romanarum partitionem[1]) habet C. Julius Victor c. XXVI de sermocinatione Rhet. Lat. Min. p. 447, 32 H.: ‚Multum ad sermonis elegantiam conferent comoediae veteres et togatae et tabernariae et Atellanae fabulae et mimofabulae, multum etiam epistolae veteres, in primis Tullianae.'

Proclus autem mimos in comoediarum numero videtur habuisse, quia et in Photii bybliotheca et in schol. Londin. ad Dionys. Thrac. tria genera inveniuntur: *τραγικόν, κωμικόν, σατυρικόν.* Tamen hac in re secundum ea, quae Kaibelius exposuit in prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* p. 65 sq., Proclum ex eodem fonte hausisse iudico atque Diomedem et tractatus Coislin. auctorem.

Sed veniamus ad alteram tractatus paragraphum, ubi haec verba scripta exstant: *ἡ τραγῳδία ὑφαιρεῖ τὰ φοβερὰ παθήματα τῆς ψυχῆς δι' οἴκτου καὶ δέους · καὶ ὅτι συμμετρίαν θέλει ἔχειν τοῦ φόβου.* Eandem autem sententiam invenimus § 7: *συμμετρία τοῦ φόβου θέλει εἶναι ἐν ταῖς τραγῳδίαις καὶ τοῦ γελοίου ἐν ταῖς κωμῳδίαις.* His autem locis de tragoediae catharsi agi quis est quin intellegat? Neque vero mihi in animo est de tragoediae et comoediae catharsi copiosius disputare, de qua viri docti permultis libris iudicia protulerunt. Sed pauca tantum afferam. Quid tragoedia et epico carmine efficiatur, dicit Aristoteles in arte poet. p. 1453 b 10: *οὐ γὰρ πᾶσαν δεῖ ζητεῖν ἡδονὴν ἀπὸ τραγῳδίας, ἀλλὰ τὴν οἰκείαν,* de carmine epico p. 1459 a 21: *ἵν' ὥςπερ ζῷον ἓν ὅλον ποιῇ τὴν οἰκείαν ἡδονήν* et p. 1462 b 13: *δεῖ γὰρ οὐ τὴν τυχοῦσαν ἡδονὴν ποιεῖν αὐτάς, ἀλλὰ τὴν εἰρημένην.* Sed quid sit *ἡδονή*, ex eis apparere puto, quae scripta videmus in lib. III *περὶ ψυχῆς* p. 431 a 10: *ἔστι τὸ ἥδεσθαι τὸ ἐνεργεῖν τῇ αἰσθητικῇ μεσότητι πρὸς τὸ ἀγαθόν.* Quibus ex verbis facile est ad intellegendum Aristotelis sententia *μετριοπάθειαν* effici laetitia, id quod scriptum legimus in tractatu Coisl.[2]) Itaque enuntiatum illud paragraphi 2. et 7. referendum est ad Aristotelis doctrinam. Sed longe aliter mea quidem sententia iudicandum est de primo enuntiato paragraphi 2., quod minime ex Aristotelis sententia emanavit. Legimus enim illo loco, quemadmodum auctor ille incertus Aristotelis de catharsi tragica doctrinam explicaverit. Etenim dicit tragoedia eos animae affectus tolli, quibus timor cieatur. Sed sitne haec Aristotelis sententia, equidem dubito. Ceterum quodammodo congruere mihi videtur haec sententia tractatus Coisl. cum eis, quae protulit

[1]) Omitto Ioannis Lydi nugas, qui comoediam Romanam I, 40 dividit in septem genera. Item sunt perversissima, quae inveniuntur apud [Acronem] ad Hor. art. poet. v. 288 vol. II p. 356 ed. Keller: ‚Comoediarum genera sunt sex: stataria, motoria, praetextata, tabernaria, togata, palliata.' Eadem sex genera habet Porphyrio ad Terenti Haut. prol. 36 p. 76 Schlee.

[2]) cf. Plutarchum personatum de vita et poesi Homeri c. 135 vol. VII p. 408 Bernad.: *Οἱ δ' ἐκ τοῦ Περιπάτου τὴν ἀπάθειαν ἀνέφικτον ἀνθρώπῳ νομίζουσι, τὴν δὲ μετριοπάθειαν εἰσάγοντες, τῷ τὴν ὑπερβολὴν τῶν παθῶν ἀναιρεῖν, μεσότητι τὴν ἀρετὴν ὁρίζονται.*

Bernaysius in eo libro, qui inscribitur: ‚Zwei Abhandlungen über die aristotel. Theorie des Drama' p. 57. Quo loco scriptum legimus: „welche die Katharsis, als eine Entladung sollicitierter Affektionen, einnimmt gegenüber den tragischen Musterwerken." Praeterea meo iudicio Aristoteles ipse scripsisset *δι' ἐλέου καὶ φόβου*, non *δι' οἴκτου καὶ δέους*. Itaque verbis illis: *ἡ τραγῳδία ὑφαιρεῖ τὰ φοβερὰ παθήματα τῆς ψυχῆς δι' οἴκτου καὶ δέους* intelleximus auctorem tractatus incertum Aristotelis de catharsi doctrinam esse interpretatum; utrum vero intellexerit eam necne, quaeritur.

Iam erit agendum de comoediae definitione celeberrima (§ 3), de qua et Bernaysius et Kaibelius idem profert iudicium. Bernaysius enim in mus. Rhen. vol. VIII (1853) p. 568 dicit: „Diese seinsollende Definition der Komödie ist nichts als eine jämmerlich ungeschickte Travestie der aristotelischen von der Tragödie," Kaibelius autem l. s. s. p. 54: „ . . . Die groteske Parodie auf die aristotelische Tragödiendefinition . . . . " Eodem modo iudicat Doeringius in eo libro, qui inscribitur: ‚Die Kunstlehre des Aristoteles' p. 127: „Daß dabei die traurige Komödiendefinition des Cramerschen Anonymus ganz außer acht gelassen werden muß, ist wohl selbstverständlich." Longe autem aliud iudicium profert Baumgartius in eo libro, qui inscriptus est: ‚Handbuch der Poetik' p. 666 sqq. Censet enim totam illam comoediae definitionem Aristoteli esse tribuendam. Sed meo quidem iudicio neque huius neque illorum sententia plane est comprobanda. Hoc autem constat, illam definitionem esse institutam secundum tragoediae definitionem ab Aristotele prolatam. Sed cum de hac parte tractatus Coisl. viri docti minime consentiant, e re esse videtur denuo de illa comoediae definitione disserere. Itaque rem ita instituamus, ut singula eius verba accuratius examinentur.

Primum enim in tractatu Coisl. scriptum legimus comoediam esse imitationem actionis ridiculae; id quod dilucide esse expositum rectoque talo stare censeo. Neque vero dubium esse potest, quin *γελοίου* mutandum sit in *γελοίας*. Nam verborum termini in codice Coisl. saepius sunt depravati atque ei praecique § 3. p

Sed accedamus ad graviora. In eis enim, quae secuntur, tractatus Coisl. exhibet haec verba: *καὶ ἀμοίρου μεγέθους τελείου*. Ad hunc locum explicandum e re esse mihi videtur initium facere ab illo *τελείου*, praesertim cum in tragoediae definitione *τελείας* scriptum exstet ante *μέγεθος ἐχούσης*. Sed quaeritur, utrum scribendum sit *τελείου* an *τελείας*. Usurpatur autem tum hoc tum illud. Atque apud Aristotelem femininum plerumque legitur *τελεία*, aliquoties *τέλειος*. Veluti in Ethicis Nicom. p. 1153 b 16 haec scripta exstant: *οὐδεμία γὰρ ἐνέργεια τέλειος ἐμποδιζομένη*. Neque vero exempla casuum obliquorum secundum Bonitzii indicem s. v. *τέλειος* apud Aristotelem exstant. Contra apud Platonem in Phaedro p. 249 C scriptum legimus: *τοῖς δὲ δὴ τοιούτοις ἀνὴρ ὑπομνήμασιν ὀρθῶς χρώμενος, τελέους ἀεὶ τελετὰς τελούμενος, τέλεος ὄντως μόνος γίγνεται*. Sed secundum ea, quae supra exposui, *τελείας* esse scribendum iudico.

Quaeritur autem, satisfaciatne huius definitionis sententiae illud

τελείου. Kaibelius enim in Prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* l. s. s. p. 54 adn. 1 haec dicit: „Die alte Komödie hat keine abgeschlossene Handlung in demselben Sinne wie die Tragödie. Sie kann in einer beliebigen Anzahl von lustigen Scenen fortgesetzt werden, die mit zur Handlung gerechnet werden müssen, da sie aus der Haupthandlung hervorgehen und die Personen der Haupthandlung an ihnen beteiligt sind. Daraus würde für die Komödie ein willkommenes Distinktiv gegenüber der Tragödie gewonnen." Quae vir doctus dicit, concedendum est ad Aristophanis fabulas priores ea quadrare veluti ad Acharnenses et ad Equites. Posteriores autem illius et mediae, quae vocatur, comoediae fabulas esse absolutiores inter omnes constat. Aristotelem autem mediam quoque comoediam, quam ipse nominat *καινήν*, novisse colligendum est ex Ethicis Nicom. lib. IV. c. 14 p. 1128 a 22, ubi scripta legimus: *ἴδοι δ' ἄν τις καὶ ἐκ τῶν κωμῳδιῶν τῶν παλαιῶν καὶ καινῶν.* Quo loco Aristotelem prae media veterem comoediam quodammodo vituperare minime est neglegendum. Pergit enim l. s. s.: *τοῖς μὲν γὰρ ἦν γελοῖον ἡ αἰσχρολογία, τοῖς δὲ μᾶλλον ἡ ὑπόνοια.* Praeterea commemorandum est ex mediae comoediae poetis ab illo unum Anaxandridem afferri.[1]) Huc accedit, quod initio artis poeticae Aristoteles ipse p. 1447 a 9 dicit: *πῶς δεῖ συνίστασθαι τοὺς μύθους, εἰ μέλλει καλῶς ἕξειν ἡ ποίησις.* Hoc autem loco premendum est illud *δεῖ.* Itaque in arte poetica praescribit, non describit.

Sed hoc loco ea quoque consideranda sunt, quae Aristoteles de carmine epico dicit. Scriptum enim videmus p. 1459 a 17: *περὶ δὲ τῆς διηγηματικῆς καὶ ἐν μέτρῳ μιμητικῆς, ὅτι δεῖ τοὺς μύθους καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις συνεστάναι δραματικοὺς καὶ περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσα καὶ τέλος.* Cuius doctrinae simillima sunt Aristotelis de tragoedia praecepta. Conferas velim l. s. s. definitionem et p. 1450 b. 24 sqq.: *κεῖται δ' ἡμῖν τὴν τραγῳδίαν τελείας καὶ ὅλης πράξεως εἶναι μίμησιν ἐχούσης τι μέγεθος· ἔστιν γὰρ ὅλον καὶ μηδὲν ἔχον μέγεθος. ὅλον δέ ἐστιν τὸ ἔχον ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τελευτήν.* Sed redeamus ad carmen epicum. Ex loco autem s. s. colligendum est Aristotelem statuisse, ut carmen epicum haberet *πρᾶξιν τελείαν.* Quod praecepisse eum Homeri carminibus adductum intellegimus ex arte poet. ipsa p. 1459 a 30 sqq.: *διὸ ὥσπερ εἴπομεν ἤδη καὶ ταύτῃ θεσπέσιος ἂν φανείη Ὅμηρος παρὰ τοὺς ἄλλους.* Ab Homeri autem consuetudine permultum differre reliquos poetas, qui composuerint carmina epica, Aristoteles ipse dicit l. s. s. p. 1459 b 1 sqq.: *οἱ δ' ἄλλοι περὶ ἕνα χρόνον καὶ μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ, οἷον ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας καὶ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα.* De Apollonii Rhodii carmine simili modo esse iudicandum R. Heinzeus demonstravit, qui nuperrime in eo libro, qui inscribitur: „Vergils epische Technik", hac de re egit. Dicit enim p. 426: „. . . Aristoteles,

---

[1]) Quod Bonitzius in indice Aristot. nominat etiam Menandrum et Philemonem, qua de causa hoc factum sit, nescio. Nam Menander post Aristotelis mortem fabulas docuit. Altero autem loco, qui Philemoni tribuitur, scriptum legimus Polit. A p. 1255 b 29: *κατὰ τὴν παροιμίαν δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου.*

der seine Regeln aus Ilias und Odyssee abstrahierte . . ." et paulo infra: „Ilias und Odyssee enthalten zwar Hinweise auf künftige Erlebnisse der handelnden Personen, aber die Handlungen der Gedichte selbst werden mit allen ihren nächsten und unmittelbaren Konsequenzen zu Ende geführt." Quibus expositis Aristotelem cum velit et tragoediam et carmen epicum esse *τέλειον*, colligendum est statuisse, ut item comoedia esset *τέλειος*. Hisce tot argumentis commoto mihi quidem persuasum est illud *τελείου* in tractatu Coislin. minime esse mutandum et ex Peripatetica doctrina emanasse.[1])

Videamus nunc, quid sit iudicandum de verbis illis: *καὶ ἀμοίρου μεγέθους*. Ac primum quidem mihi videtur explicandum esse, quidnam censuerit auctor incertus tractatus Coislin. Deinde considerandum est, utrum Aristoteles eandem sententiam secutus sit necne.

Kaibelius enim l. s. s. p. 54 adnot. 1 dicit hoc interesse inter comoediam et tragoediam, quod haec *τέλειος* sit, illa *τέλος* non habeat. Quam sententiam non esse comprobandam supra demonstravimus. Sed auctoris incerti iudicio tragoedia et comoedia inter se differunt. Confugiendum enim est ad illud *μέγεθος ἐχούσης* et *ἀμοίρου μεγέθους*. Sed quaeritur, quidnam significet illud *μέγεθος*. Apud Aristotelem enim *μέγεθος* idem valet atque longitudo et sublimitas, id quod ex illius arte poetica demonstrari potest. Scriptum enim legimus p. 1449 a 18: *ἔτι δὲ τὸ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων καὶ λέξεως γελοίας διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν ὀψὲ ἀπεσεμνύνθη*. Quo loco equidem nego illud *μέγεθος* coniungendum esse cum *ἀπεσεμνύνθη* ita, ut subiecti locum teneat. Sed *μέγεθος* est accusativus qui dicitur relationis. Subiectum huius sententiae est *τραγῳδία*.[2]) Illud *μέγεθος* autem ad grande dicendi genus referendum est et idem valet atque sublimitas. Quam sententiam Margoliouthii testimonio affirmat Abu Bischr, qui saec. X. Aristotelis de arte poet. librum ex Graeco in Arabicum vertit sermonem. Transtulit enim hunc locum: ‚idem primus creavit ex parvis fabulis magnitudinem sermonis.'[3]) Aliter autem res se habet p. 1450 b 37 sqq.: *τὸ γὰρ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστίν, διὸ οὔτε πάμμικρον ἄν τι γένοιτο καλὸν ζῷον . . . οὔτε παμμέγεθες*. Hoc autem loco *μέγεθος* idem valere atque *μῆκος* apparet. Huc accedit, quod Aristoteles ipse aliis locis verbo *μῆκος* utitur, veluti p. 1451 a 6: *τοῦ μήκους ὅρος ὁ μὲν πρὸς*

---

[1]) Simili modo iudicat Bernaysius l. s. s. p. 570: „Und gerade der Einwand, welcher von empirischer Seite gegen diese Regeln zu erheben ist, daß sie nämlich für die alte Komödie zu eng sind, muß ihnen die Gewähr aristotelischer Theorie verleihen. Denn dies kann keinem Aufmerkenden entgehen, daß Aristoteles bei dem entscheidenden Gewicht, das er auf straffe Verknüpfung des Sujets zur Einheit legt, bei der Strenge, mit welcher er nur allgemeine (*καθόλου*) Charaktere als wahrhaft poetische Gestalten anerkennt, notwendig dahin kommen mußte, die mittlere und was ihm etwa von der neuen Komödie noch bekannt war, als Gattung hoch über die alte zu stellen."

[2]) cf. Gomperzii translationem p. 9 et eundum in relat. acad. Vind. cl. philos.-hist. vol. 116 (1888) p. 560.

[3]) cf. Philologi vol. LV (1896) p. 25. Quamquam non ignoro translationem Arabicam saepius esse incertam.

τοὺς ἀγῶνας καὶ τὴν αἴσθησιν οὐ τῆς τέχνης ἐστίν et p. 1459 b 19: *τοῦ μὲν οὖν μήκους ὅρος ἱκανὸς ὁ εἰρημένος*. Quibus expositis censeo auctorem illum incertum putavisse in tragoediae definitione ab Aristotele prolata illud *μέγεθος* significare sublimitatem. Itaque optimo iure dicit comoediam esse *ἄμοιρον μεγέθους*. Neque enim quisquam negabit tragoediam egere sublimitate, carere comoediam. Eodem autem modo hunc locum explicat Baumgartius in eo libro qui inscribitur: Handbuch der Poetik p. 667.

Sed quaeritur, num et auctor incertus et Baumgartius Aristotelis tragoediae definitionem omnino intellexerint. Quod equidem nego. Nam in tragoediae definitione illud *μέγεθος* idem valere atque *μῆκος* colligendum est ex eis, quae scripta exstant p. 1450 b. 24 sqq.: *κεῖται δ' ἡμῖν τὴν τραγῳδίαν τελείας καὶ ὅλης πράξεως εἶναι μίμησιν ἐχούσης τι μέγεθος· ἔστιν γὰρ ὅλον καὶ μηδὲν ἔχον μέγεθος. ὅλον δέ ἐστιν τὸ ἔχον ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τελευτήν* et lin. 37 sqq.: *τὸ γὰρ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστίν, διὸ οὔτε πάμμικρον ἄν τι γένοιτο καλὸν ζῷον . . . οὔτε παμμέγεθες*. Neque vero auctor incertus quod non intellexit locum illum Aristotelium, mea quidem sententia tantopere vituperandus est, quantopere castigatur a Bernaysio.

Quae cum ita sint, equidem censeo minime huic loco tractatus Coisl. coniectura esse succurrendum. Bernaysius enim l. s. s. p. 569 dicit illud *ἀμοίρου μεγέθους τελείου* fortasse depravatum esse ex *πράξεως γελοίας συμμέτρου μεγέθους τελείου*; quibus verbis significari *εὐσύνοπτον*. Sed quamquam Bernaysius Aristotelis sententiae coniectura sua satisfacit, cum scriptum videamus in arte poet. p. 1451 a 3: *ὥςτε καθάπερ ἐπὶ τῶν σωμάτων καὶ ἐπὶ τῶν ζῴων ἔχειν μὲν μέγεθος, τοῦτο δὲ εὐσύνοπτον εἶναι, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν μύθων ἔχειν μὲν μῆκος, τοῦτο δὲ εὐμνημόνευτον εἶναι,* tamen coniecturis, ut supra demonstravimus, minime opus est. Huc accedit, quod illud *ἄμοιρος* Aristotelicum est. Scriptum enim legimus in tertio de caelo libro p. 306 a 3: *οὔτε γὰρ εὔλογον ἓν μόνον ἄμοιρον γενέσθαι τῆς μεταβάσεως, οὔτε φαίνεται κατὰ τὴν αἴσθησιν* et in Ethic. Nicom. A. XIII p. 1102 b 11: *ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἅλις, καὶ τὸ θρεπτικὸν ἐατέον, ἐπειδὴ τῆς ἀνθρωπικῆς ἀρετῆς ἄμοιρον πέφυκεν*. Itaque de ceteris coniecturis virorum doctorum tacebo.

Post *τελείου* autem lacunam in codice Coisl. esse statuendam apparet. Neque dubium est, quin auctore Vahleno[1]) supplementum sumendum sit ex tragoediae definitione in arte poet. tradita. Itaque haec verba intercidisse manifestum est: *ἡδυσμένῳ λόγῳ*. Quae verba ab Aristotele hoc modo explicantur p. 1449 b 27: *λέγω δὲ ἡδυσμένον λόγον τὸν ἔχοντα ῥυθμὸν καὶ ἁρμονίαν καὶ μέτρον*. Ceterum *μέτρον* esse legendum pro *μέλος*, quod praebet codex Parisinus, auctore Victorio colligimus ex eis verbis, quae exstant p. 1447 b 23 sqq.: *λέγω δὲ οἷον ῥυθμῷ καὶ μέλει καὶ μέτρῳ*.[2]) Haec autem omnia quadrare ad comoediam Aristoteles ipse dicit eodem loco: *εἰσὶ δέ τινες αἳ πᾶσι χρῶνται*

---

[1]) cf. artis poet. editionem 3. p. 78.
[2]) Non recte hac de re iudicat Finslerus l. s. s. p. 59.

τοῖς εἰρημένοις, λέγω δὲ οἷον ῥυθμῷ καὶ μέλει καὶ μέτρῳ, ὥςπερ ἥ τε τῶν διθυραμβικῶν ποίησις καὶ ἡ τῶν νόμων, καὶ ἥ τε τραγῳδία καὶ ἡ κωμῳδία, διαφέρουσι δὲ ὅτι αἱ μὲν ἅμα πᾶσιν, αἱ δὲ κατὰ μέρος.

Sed veniamus ad eum locum, qui graviorem videtur contraxisse labem. Exstant enim in codice Coisl. haec verba: *χωρὶς ἑκάστου τῶν μορίων ἐν τοῖς εἴδεσι,* quae omni ratione servanda esse censet Baumgartius l. s. s. p. 669. Quin etiam vir doctus tractatus Coisl. ratione habita tragoediae definitionem emendare conatur, sed ille id mihi videtur audacius facere, quam ut temere eum sequar. Quis enim est, quin tractatum Coisl. multis mendis esse depravatum intellegat? Sed primum dico verba illa, de quibus agimus, referenda esse ad illud *ἐν οἷς ποιοῦνται τὴν μίμησιν*, quod scriptum legimus in arte poet. p. 1447 b 27. Deinde videntur adhibenda esse ad emendationem haec verba tragoediae definitionis: *χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις*, quem locum Aristoteles p. 1449 b 29 hoc modo explicat: *τὸ δὲ χωρὶς τοῖς εἴδεσι τὸ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι καὶ πάλιν ἕτερα διὰ μέλους.* Quibus ex verbis intellegi potest Aristotelis sententia alias partes tragoediae versibus, alias carminibus effici. *χωρὶς* enim referendum esse ad illud *ἐν τοῖς μορίοις* optimo iure dicit Vahlenus in editione 3. p. 117. Hoc si facimus, verba illa ita sunt explicanda: singula genera orationis conditae separatim in singulis partibus adhibentur.[1]) Nam in ea tragoediae parte, qui vocatur *πρόλογος*, versus inveniuntur, in ea autem, quam appellant *πάροδον*, carmina. Itaque censeo nihil esse mutandum in verbis illis tragoediae definitionis. Sed videamus, quadretne haec sententia ad comoediam. Nam quid auctor tractatus Coisl. significaverit verbo *μόριον*, colligendum est ex eis, quae infra dicit § 10: *μέρη τῆς κωμῳδίας τέσσαρα· πρόλογος χορικὸν ἐπεισόδιον ἔξοδος. πρόλογός ἐστιν μόριον κωμῳδίας τὸ μέχρι εἰσόδου τοῦ χοροῦ.* Idem igitur significat verbo *μόριον* atque Aristoteles. Eadem autem, quae supra diximus de tragoediae partibus, quadrare ad comoediam apparet. Itaque censeo in tractatus Coislin. fonte exstitisse *χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις,* quae verba supra explicavi Bernaysium et Vahlenum secutus. Baumgartii autem sententiam omnino esse repudiandam vel ex eo intellegitur, quod ei tria sunt mutanda, nobis unum. Huc accedit, quod et in arte poetica et in tractatu Coisl. illud *ἐν* traditum est, quod Baumgartius exterminat.

In eis autem, quae secuntur, exstant in codice Coisl. haec verba: *δρῶντος καὶ δι' ἀπαγγελίας,* quae verba stare omnino non possunt. Afferenda enim sunt hoc loco ea, quae Aristoteles p. 1448 a 19 sqq. dicit: *ἔτι δὲ τούτων τρίτη διαφορὰ τὸ ὡς ἕκαστα τούτων μιμήσαιτο ἄν τις. καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς καὶ τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαι ἔστιν* 1. *ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα,* a) *ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον, ὥςπερ Ὅμηρος ποιεῖ,* b) *ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα,* 2. *ἢ πάντας ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους.* Quae verba in duas esse distribuenda partes, quarum altera rursus est bipertita, optimo iure dicit Vahlenus

[1]) cf. Bernaysium: Zwei Abhandlungen p. 18.

in editione 3. p. 97. Ex hoc autem loco colligimus in tractatu Coisl. cum Kaibelio esse scribendum *δρώντων καὶ ⟨οὐ⟩ δι' ἀπαγγελίας*.

Veniamus nunc ad haec verba: *δι' ἡδονῆς καὶ γέλωτος*. Bernaysius enim l. s. s. p. 568 dicit illud *γέλως* et *ἡδονή* minime esse eodem gradu; *γέλως* enim esse speciem *ἡδονῆς*.[1]) Praeterea illud *ἡδονή* Bernaysii sententia est vocandum *πάθος* secundum auctoris *περὶ ὕψους* verba c. 38, 5: *ὁ γέλως πάθος ἐν ἡδονῇ*, non *πάθημα*. Contra afferenda sunt ea, quae dicit Bonitzius in indice Aristotelico s. v. *πάθημα*: apparet enim inter *πάθημα* et *πάθος* non esse certum significationis discrimen, sed eadem fere vi et sensus varietate utrumque nomen saepius alterum, alterum rarius usurpari.[2]) Sed quod Bernaysius dicit l. s. s. p. 568: illud *ἡδονήν* repudiandum esse, quia etiam tragoedia *ἡδονή* excitetur, Aristoteles permulta laetitiae genera affert in libris suis. Sunt enim illius sententia cum aliae *ἡδοναί* tum *οἰκεία ἡδονή* et tragoediae et comoediae. Veluti scriptum legimus in arte poet. p. 1453 a 34: *ἔστιν δὲ οὐχ αὕτη ἡ ἀπὸ τραγῳδίας ἡδονὴ ἀλλὰ μᾶλλον τῆς κωμῳδίας οἰκεία.* Hoc autem Bernaysio concedendum est secundum Aristotelem *ἡδονήν* non esse habendam in numero affectuum, sed sequi affectus. Scriptum enim legimus in Eth. Nicomach. p. 1105 b 21: *λέγω δὲ πάθη μὲν ἐπιθυμίαν ὀργὴν φόβον θάρσος φθόνον χαρὰν φιλίαν μῖσος πόθον ζῆλον ἔλεον, ὅλως οἷς ἕπεται ἡδονὴ ἢ λύπη*. Itaque dubitari potest, stetne illud *δι' ἡδονῆς*. Sed aliud considerandum est. Scriptum enim videmus apud Tzetzam Pa 12 C G F. I p. 17 K: *ἐστὶ δὲ κωμῳδία μίμησις πράξεως . . . καθαρτήριος παθημάτων, συστατικὴ τοῦ βίου διὰ γέλωτος καὶ ἡδονῆς τυπουμένη*.[3]) Huc accedit, quod in schol. ad Dionys. Thrac. conscriptis haec verba legimus: *ἐστὶ δὲ κωμῳδία μίμησις πράξεως καθαρτικῶν παθημάτων καὶ τοῦ βίου συστατική, τυπουμένη δι' ἡδονῆς καὶ γέλωτος*.[4]) Kaibelius autem l. s s. p. 65 demonstravit Tzetzam cx scholiis ad Dionys. Thrac. ab Euclide confectis hausisse, Euclidem ex Proclo, Proclum ex eodem fonte atque auctorem tractatus Coislin. Quae cum ita sint, sequitur in communi illa arte poet. exstitisse illud *δι' ἡδονῆς καὶ γέλωτος*.

Veniamus nunc ad ridiculi genera (§ 4). Atque primo quidem loco disserendum est de bipartitione illa: *γίνεται δὲ ὁ γέλως ἀπὸ τῆς λέξεως — ἀπὸ τῶν πραγμάτων*. Similem autem partitionem invenimus in arte rhetorica. Quae tota doctrina ad Theophrastum est referenda. Dicit enim Rabeus in dissertatione sua, quae inscribitur: de Theophrasti libris *περὶ λέξεως* p. 29. haec: ‚primum enim ordo iustus in artibus erit *περὶ πίστεων, περὶ τάξεως, περὶ λέξεως;* postremum referebatur ad *λεκτικὸν τόπον*, priora ad *πραγματικόν*.' Haec autem Theophrasti doctrina imprimis adamabatur a primi a. Chr. n. saeculi scriptoribus. Scriptum enim legimus

---

[1]) cf. Aristot. Rhet. I. c. XI p. 1371 b 34: *ὁμοίως δὲ καὶ ἐπεὶ ἡ παιδιὰ τῶν ἡδέων καὶ πᾶσα ἄνεσις, καὶ ὁ γέλως τῶν ἡδέων, ἀνάγκη καὶ τὰ γελοῖα ἡδέα εἶναι.*

[2]) cf. Bonitzium in studiis Aristot. V, Vindobonae 1867, Finslerum l. s. s. p. 114.

[3]) cf. Kaibelii prolegomena *περὶ κωμῳδίας* p. 53.

[4]) cf. Goettlingium in Theodosii Alex. grammatica p. 58, 31, qui locus apud Hilgardium non invenitur.

apud Dionysium Halicarn., quem ex Theophrasti doctrina pendere Rabeus l. s. s. passim demonstravit, in eo libro, qui est de compositione verborum c. 1. p. 4, 6 ed. Usener-Raderm.: *Διττῆς γὰρ οὔσης ἀσκήσεως περὶ πάντας ὡς εἰπεῖν τοὺς λόγους, τῆς περὶ τὰ νοήματα καὶ τῆς περὶ τὰ ὀνόματα, ὧν ἡ μὲν τοῦ πραγματικοῦ τόπου μᾶλλον ἐφάπτεσθαι δόξειεν ἄν, ἡ δὲ τοῦ λεκτικοῦ.*[1] Similia autem, ut ad Romanos transeam, inveniuntur apud auctorem ad Herennium lib. IV, 13, 18: ‚Dignitas est, quae reddit ornatam orationem varietate distinguens. Haec in verborum et in sententiarum exornatione⟨s⟩ dividitur. Verborum exornatio est, quae ipsius sermonis insignita continetur perpolitione. Sententiarum exornatio est, quae non in verbis, sed in ipsis rebus quandam habet dignitatem.' Eandem autem partitionem atque in tractatu Coisl. inveniri apparet et apud Ciceronem et apud Quintilianum eis locis, ubi agitur de ridiculi generibus.[2])

Jam ad singula ridiculi genera transeamus, quae accuratius post Bernaysii et Arndtii commentationes retractare mihi non est in animo. Sed cum viri docti non omnia mihi videantur exhausisse, de compluribus generibus denuo agam. Atque primum quidem *παρωνυμίαν* tractabo. Quod vocabulum in tractatu Coisl. eodem esse sensu usurpatum atque apud Aristotelem *παρώνυμος* et *παρωνυμιάζειν* recte negat Arndtius l. s. s. p. 10 sqq. Sed alii auctores pro *παρωνυμία* scribebant *παρονομασία*. Neque enim certus erat usus. Veluti in Aquilae Romani libris manuscriptis § 27. scriptum legimus ‚paronymia' vel ‚paronimia'.[3]) Neque vero est, cur mutemus illud in ‚paronomasia'. Scriptum enim legimus in Plutarchi *συγκρίσεως Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου* epitoma vol. V. p. 203. Bernad.: *καὶ γὰρ ὁ μὲν ἀπαίδευτος καὶ ἰδιώτης, οἷς ἐκεῖνος λέγει, ἁλίσκεται· ὁ δὲ πεπαιδευμένος δυσχερανεῖ.*[4]) *λέγω δὲ τὰ ἀντίθετα καὶ ὁμοιόπτωτα καὶ παρωνυμίας.* Neque vero meo iudicio adhuc satis est ratio habita verborum illorum *παρὰ πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν*. Haec enim inveniuntur apud auctorem ad Herenn. lib. IV, 21, 29, ubi adnominatio tractatur: ‚Ea (scil. adnominatio) multis et variis rationibus conficitur .... Addendis litteris .... Demendis litteris .... Transferendis litteris .... Commutandis litteris.' In eius autem

---

[1]) cf. Dionysii Halicarn. commentarium, quem ad Q. Aelium Tuberonem de Thucydide scripsit 810. p. 325, 6. sq. ed. Usener-Raderm.: *τίνας ἕκαστος αὐτῶν εἰσφέρεται πραγματικάς τε καὶ λεκτικὰς ἀρετάς*, de imit. lib. II. epit. c. 3. p. 22. Usener.: *Τῶν μέντοι συγγραφέων Ἡρόδοτος μὲν ἐξείργασται βέλτιον τὸ πραγματικὸν εἶδος· τῷ δὲ λεκτικῷ ποτὲ μὲν πλεονεκτεῖ Θουκυδίδης, περὶ τῆς Δημοσθένους λέξεως* sub finem vol. I. p. 252. ed. Us.-Raderm., saepius.

[2]) cf. Arndtium l. s. s. p. 28. et p. 49.

[3]) cf. Halmium rhet. Lat. min. p. 30.

[4]) Cum his Plutarchi verbis, quae Marxii admonitu inspexi, comparanda sunt ea, quae scripta exstant in Eth. Nicom. p. 1128 a 4.: *οἱ μὲν οὖν τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες βωμολόχοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ φορτικοί, γλιχόμενοι πάντως τοῦ γελοίου, καὶ μᾶλλον στοχαζόμενοι τοῦ γέλωτα ποιῆσαι ἢ τοῦ λέγειν εὐσχήμονα καὶ μὴ λυπεῖν τὸν σκωπτόμενον.* Atque lin. 20 sqq. planis verbis Aristoteles veterem comoediam repudiat, cum dicat: *ἡ τοῦ ἐλευθερίου παιδιὰ διαφέρει τῆς τοῦ ἀνδραποδώδους, καὶ αὖ τοῦ πεπαιδευμένου καὶ ἀπαιδεύτου κτλ.* Itaque Plutarchi locus ad Peripateticorum doctrinam spectare mihi videtur. cf. Demetrii personati libellum *περὶ ἑρμηνείας* § 171/172. et Arndtium l. s. s. p. 22.

libris III. et IV. doctrinam Peripateticam, imprimis Theophrasteam inveniri inter viros doctos constat.[1]) Eandem quadripartitionem, quam supra ex auctore ad Herenn. attulimus, apud Varronem de lingua lat. V, 6. inveniri demonstravit Leo in Hermae vol. XXIV., p. 289. adn. 5 et Usenerus l. s. s. p. 625. Sed permagni nostra interest eandem quadripartitionem exstare in eo Philonis Judaei libro, qui inscribitur *περὶ ἀφθαρσίας κόσμου* c. 22. (p. 34. ed. Cumont.),[2]) quem locum attulit Marxius in Lucilii carminum rel. vol. II. p. 394. ad versum 1242: *Προςφιλοτεχνοῦντες δέ τινες τῶν ἀίδιον ὑπολαμβανόντων τὸν κόσμον εἶναι καὶ τοιούτῳ πρὸς κατασκευὴν λόγῳ χρῶνται · φθορᾶς τέτταρας εἶναι τρόπους τοὺς ἀνωτάτω συμβέβηκεν, πρόσθεσιν, ἀφαίρεσιν, μετάθεσιν, ἀλλοίωσιν.* Notum autem est illum hausisse ex fonte Peripatetico.[3]) Commemoratur enim cap. 23 p. 35 Cumont Theophrastus et c. 11 p. 17 atque c. 14 p. 22 Critolaus Peripateticus, quem Philodemi et Ciceronis auctorem fuisse Angermannus dicit l. s. s. p. 8. Apud Ciceronem eo loco, ubi agit de ridiculi doctrina, haec inveniuntur de adnominatione de orat. II, 63, 256: ‚Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in littera positum Graeci vocant *παρονομασίαν.*' Sed cum auctore ad Herennium maxima ex parte congruit Rutilius Lupus I, 3 (p. 4 rhet. Lat. min. Halm): ‚*Παρονομασία.* Hoc aut addenda aut demenda aut mutanda aut porrigenda aut contrahenda littera aut syllaba fieri consuevit.' Praeterea eandem doctrinam invenimus apud Quintilianum in eo capite, quod est de soloecismo.[4]) Tria autem genera idem praebet VI, 3, 53: ‚haec tam frigida, quam est nominum fictio adiectis detractis mutatis litteris.' Alteram tripartitionem apud eundem scriptam legimus IX, 3, 69: ‚aliter quoque voces aut eaedem diversa in significatione ponuntur aut productione tantum vel correptione mutatae: quod etiam in iocis frigidum equidem tradi inter praecepta miror, eoque exempla vitandi potius quam imitandi gratia pono: amari iucundum est, si curetur, ne quid insit amari. avium dulcedo ad avium ducit.' Quibus cum verbis conferenda sunt ea, quae apud auctorem ad Herenn. l. s. s. scripta exstant: ‚Adtenuatione aut complexione eiusdem litterae .... Et ex contrario .... Productione eiusdem litterae hoc modo: 'Hinc avium dulcedo ducit ad avium.' Brevitate eiusdem litterae.' Quibus ex locis intellegi potest illam doctrinam atque partitionem imprimis primo a. Chr. n. saeculo adamatum esse. Nec miror apud scriptores metricos similem inveniri quadripartitionem.[5]) Tripartitionem autem ab eis adhibitam tractavit Consbruchius in comment. philol. Vratislav. V, 3 (1890) p. 90 sqq. Quibus demonstratis optimo iure dici posse censeo etiam in tractatu Coisl. aut in eius fonte non solum duas illas species *παρὰ πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν,* sed quattuor minimum

---

[1]) cf. Angermannum l. s. s. p. 4.
[2]) Hunc libellum Philoni esse attribuendum demonstravit Cumontius in editionis suae prolegomenis.
[3]) cf. Zellerum in Graecorum philosophia vol. III, 2[4], p. 437 adn. 1.
[4]) cf. Usenerum in relat. acad. Monac. philos.-philol. ord. a. 1892 p. 628.
[5]) cf. Usenerum l. s. s. p. 612.

exstitisse. Neque enim neglegendum est in tractatu Coisl. excerpta ex ampliore libro confecta aetatem tulisse.

Ex eis autem ridiculi generibus, quae rebus nituntur, dignum esse mihi videtur, quod tractemus, illud *ἐκ τοῦ παρὰ προσδοκίαν*. Sed priusquam hac de re iudicium profero, demonstrare opus est, quae ratio inter Demetrii personati *περὶ ἑρμηνείας* libellum et tractatum Coisl. intercedat. Qua in re quamquam non plane cum eo consentio, maximam partem sequor Arndtium. Ac primum quidem bipartitionem illam *ἀπὸ τῆς λέξεως — ἐκ τῶν πραγμάτων* invenimus apud Demetrium personatum § 136: *ἦσαν δὲ ἡμῖν αἱ μὲν ἐν τῇ λέξει αἱ δὲ ἐν τοῖς πράγμασιν.*[1]) Cum illo *ἀδολεσχία*, quod profertur in tractatu Coisl., conferenda sunt ea, quae apud Pseudodemetrium scripta exstant § 125: *Πᾶσα μὲν οὖν ὑπερβολὴ ἀδύνατός ἐστιν (οὔτε γὰρ ἂν χιόνος λευκότερον γένοιτο, οὔτ' ἂν ἀνέμῳ θέειν ὅμοιον), αὕτη μέντοι ἡ τρίτη ὑπερβολὴ εἰρημένη ἐξαιρέτως ὀνομάζεται ἀδύνατος· διὸ δὴ καὶ μάλιστα ψυχρὰ δοκεῖ πᾶσα ὑπερβολή, διότι ἀδυνάτῳ ἔοικεν.* Quae verba mea quidem sententia propterea quadrant ad locum illum tractatus Coisl., quia apud Aristotelem in arte rhet. lib. III. c. 3, ubi agitur de hoc proposito 1405 b 34: *τὰ δὲ ψυχρὰ ἐν τέτταρσι γίγνεται κατὰ τὴν λέξιν,* p. 1406 a 10 sqq. scriptum legimus: *τρίτον δ' ἐν τοῖς ἐπιθέτοις τὸ ἢ μακροῖς ἢ ἀκαίροις ἢ πυκνοῖς χρῆσθαι· ἐν μὲν γὰρ ποιήσει πρέπει γάλα λευκὸν εἰπεῖν κτλ.,* lin. autem 32 sqq. haec inveniuntur verba: *διὸ ποιητικῶς λέγοντες τῇ ἀπρεπείᾳ τὸ γελοῖον καὶ τὸ ψυχρὸν ἐμποιοῦσι, καὶ τὸ ἀσαφὲς διὰ τὴν ἀδολεσχίαν.*[2]) Hoc igitur loco Demetriano habemus hyperbolen in verbis positam, in rebus positam legimus § 126: *Διὰ τοῦτο δὲ μάλιστα καὶ οἱ κωμῳδοποιοὶ χρῶνται αὐτῇ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀδυνάτου ἐφέλκονται τὸ γελοῖον. ὥςπερ ἐπὶ τῶν Περσῶν τῆς ἀπληστίας ὑπερβαλλόμενός τις ἔφη, ὅτι πεδία ἐξέχεζον ὅλα καὶ ὅτι βοῦς ἐν ταῖς γνάθοις ἔφερον,* quae verba respondent illi *ἐκ τοῦ ἀδυνάτου* in tractatu Coisl. tradito.[3]) Sed quae apud Pseudodemetrium inde a § 142 usque ad § 145 enumerantur, referenda esse ad exallages species in tractatu Coisl. traditas iure dicit Arndtius l. s. s p. 18. *Αἱ δὲ ἀπὸ τῶν σχημάτων χάριτες* commemorantur apud Demetrium personatum § 140, in tractatu Coisl. invenitur *σχῆμα λέξεως.*[4]) De vi autem vocis *σχῆμα λέξεως* minime consentiunt viri docti. Aristoteles enim illam duplici ratione usurpat. Conferas velim art. poet. c. 19 p. 1456 b 9, soph. elench. p. 166 b 10. Qui loci omnes spectant ad rem grammaticam. Bernaysius autem censet l. s. s. p. 589 verborum formis grammaticis effici Aristotelis sententia ridiculum. Aliter hac de re iudicat Arndtius l. s. s. p. 12. Aristoteles enim *σχῆμα λέξεως* alio quoque sensu usurpat. Scriptum enim legimus in arte rhet. II. c. 24 p. 1401 a 1 sqq.: *τόποι δ' εἰσὶ τῶν*

---

[1]) cf. Arndtium l. s. s. p. 17 sq.

[2]) cf. Bernaysium l. s. s. p. 587, Arndtium p. 6 et 10, anonymi in art. rhet. comment. vol. XXI, 2 p. 175, 14 sqq.

[3]) cf. Bernaysium l. s. s. p. 592, Arndtium p. 14 et 16. Ceterum similia verba inveniuntur apud Demetrium personatum § 161.

[4]) cf. Arndtium p. 18.

φαινομένων ἐνθυμημάτων εἷς μὲν ὁ παρὰ τὴν λέξιν . . . ⟨καὶ ἐν⟩ τοῖς ἐνθυμήμασι τὸ συνεστραμμένον καὶ ἀντικειμένως εἰπεῖν φαίνεται ἐνθύμημα · ἡ γὰρ τοιαύτη λέξις χώρα ἐστὶν ἐνθυμήματος καὶ ἔοικε τὸ τοιοῦτον εἶναι παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως et lib. III. c. 10 p. 1410 b 27: *κατὰ μὲν οὖν τὴν διάνοιαν τοῦ λεγομένου τὰ τοιαῦτα εὐδοκιμεῖ τῶν ἐνθυμημάτων, κατὰ δὲ τὴν λέξιν τῷ μὲν σχήματι, ἐὰν ἀντικειμένως λέγηται.* Quibus ex locis concludit Arndtius hunc sensum esse praeferendum neque dubitat, quin re vera in catalogo *σχῆμα λέξεως* sit *ἀντίθεσις* vel similes figurae. Ad hanc sententiam confirmandam affert locum Tullianum de or. II, 263. Praeterea Arndtii sententia fulcitur loco illo Demetriano. Vidimus enim singula ridiculi genera in tractatu Coisl. tradita maxima ex parte cum locis Pseudodemetrianis congruere. Sed quid illo *σχῆμα λέξεως* in tractatu Coisl. significetur, difficile est ad diiudicandum, quia nil amplius nisi haec duo verba sunt tradita. Fortasse *σχῆμα λέξεως* utramque vim habet, praesertim cum usque ad primum a. Chr. n. saeculum vario sensu sit usurpatum.[1])

Sed ad ridicula in rebus posita transeamus. Qua in re utrum tractatus Coisliniani *ὁμοίωσις* comparanda sit cum Demetrii personati § 160, ubi haec scripta videmus: *καὶ εἰκασίαι δ' εἰσὶν εὐχάριτες, ἂν τὸν ἀλεκτρυόνα Μήδῳ εἰκάσῃς, ὅτι κυρβασίαν ὀρθὴν φέρει,* necne, equidem dubito. Ac ne Arndtius quidem l. s. s. p. 21 certis argumentis id comprobare studuit. Contra maiore cum probabilitatis specie meo iudicio illud *ἐκ τῆς ἀπάτης* referri potest ad Pseudodemetrii § 159, ubi haec inveniuntur verba: *Πολλάκις δὲ καὶ ἐκ φόβου ἀλλασσομένου γίνεται χάρις, ὅταν διακενῆς τις φοβηθῇ, οἷον τὸν ἱμάντα ὡς ὄφιν κτλ.*[2]) Atque etiam illud *παρὰ προσδοκίαν* et in tractatu Coisl. et apud Demetrium traditur. Apud hunc autem § 152 scriptum exstat: *Ἔστι δέ τις καὶ ἡ παρὰ προσδοκίαν χάρις, ὡς ἡ τοῦ Κύκλωπος, ὅτι ὕστατον ἔδομαι Οὖτιν . οὐ γὰρ προσεδόκα τοιοῦτο ξένιον οὔτε Ὀδυσσεὺς οὔτε ὁ ἀναγινώσκων.* In eis, quae secuntur, haec inveniuntur verba: *καὶ ὁ Ἀριστοφάνης ἐπὶ τοῦ Σωκράτους, κηρὸν διατήξας, φησίν, εἶτα διαβήτην λαβών, ἐκ τῆς παλαίστρας ἱμάτιον ὑφείλετο.* § 153: *Ἤδη μέντοι ἐκ δύο τόπων ἐνταῦθα ἐγένετο ἡ χάρις, οὐ γὰρ παρὰ προσδοκίαν μόνον ἐπηνέχθη, ἀλλ' οὐδ' ἠκολούθει τοῖς προτέροις, ἡ δὲ τοιαύτη ἀνακολουθία καλεῖται γρῖφος, ὥσπερ ὁ παρὰ Σώφρονι ῥητορεύων Βουλίας · οὐδὲν γὰρ ἀκόλουθον αὐτῷ λέγει.* Quae verba ab Arndtio l. s. s. p. 20 referuntur ad tractatus Coisl. quartam speciem ridiculorum in verbis positorum: *ἐκ τοῦ δυνατοῦ καὶ ἀνακολούθου.* Hanc autem sententiam minime probo. Optime enim ad verba supra allata quadrare mihi videtur extrema ridiculorum tractatus Coisl. species: *ὅταν ἀσυνάρτητος ὁ λόγος ᾖ καὶ μηδεμίαν ἀκολουθίαν ἔχων.*[3])

---

[1]) cf. Schraderum in Hermae vol. XXXIX (1904) p. 563 sqq., imprimis p. 585 sq., 592, 598.

[2]) cf. Arndtium p. 21 adn. 1.

[3]) Conferas velim iudicia de tragicorum canticis prolata, quae conlegit Trendelenburgius l. s. s. p. 44 et p. 108 sq. Ceterum scribendum esse *ἀκολουθίαν*, non *ἀνακολουθίαν* apparere iudico. Nam *ἀνακολουθίαν* solus praebet Cramerus

Quibus tot locis comparatis apparere iudico tractatus Coislin. auctorem et Demetrium personatum ex uno eodemque fonte pendere. Sed quaeritur, quisnam fuerit auctor ille communis. Hoc autem constat, Peripateticum philosophum illum fuisse atque eum veterrimum. Id quod vel inde colligere possumus, quod saepissime commemoratur in libello illo Sophron.[1]) Arndtius autem l. s. s. p. 15 censet illum fuisse Theophrastum vel Demetrium Phalereum, quorum uterque scripserit non solum *περὶ γελοίου*, sed etiam *περὶ χάριτος*. Radermacherus in editione sua p. 95 et p. 101 de eisdem videtur cogitare. Quae cum ita sint, etiam illud *παρὰ προσδοκίαν* Aristotelis discipulis tribuendum est. Ipse autem Aristoteles in arte rhet. lib. III. p. 1412 a 25 dicit: *καὶ ὃ λέγει Θεόδωρος, τὸ καινὰ λέγειν. γίγνεται δὲ ὅταν παράδοξον ᾖ, καὶ μή, ὡς ἐκεῖνος λέγει, πρὸς τὴν ἔμπροσθεν δόξαν, ἀλλ' ὥςπερ οἱ ἐν τοῖς γελοίοις τὰ παραπεποιημένα.*[2]) Itaque *παράδοξον* est Aristotelicum. Similia inveniuntur in schol. ad Homeri Il. I. v. 1 vol. I. p. 289 Maass: *ἐπειδὴ δὲ οἱ Τρῶες ἐκ παραδόξου νικῶσι βέλεσι Διός.* Sed ad *παρὰ προσδοκίαν* redeamus. Scriptum enim legimus in hypothesi ad Aristophanis ranas conscripta p. 273, 32 sqq. Duebner: *καὶ τέλος πάντα ἔλεγχον καὶ πᾶσαν βάσανον οὐκ ἀπιθάνως ἑκατέρου κατὰ τῆς θατέρου ποιήσεως προςαγαγόντος, κρίνας παρὰ προσδοκίαν ὁ Διόνυσος τὸν Αἰσχύλον νικᾶν.*[3]) Hic autem locus adhuc a viris doctis Aristophani Byzantio est attributus, qui Aristophanis comoedias instruxit hypothesibus, a Koerteo assignatur Symmacho.[4]) Definitio autem Graeca illius *παρὰ προσδοκίαν* traditur apud Tiberium *περὶ τῶν παρὰ Δημοσθένει σχημάτων* VIII, 544 W. III, 66 Sp.: *Παρὰ προσδοκίαν δέ ἐστιν, ὅταν ἄλλο τοῦ ἀκροατοῦ προσδεχομένου, ἄλλα μετά τινος χάριτος ἐπενέγκῃ.* Dignum autem est, quod hoc loco tractetur, illud Hermogenis caput, quod inscribitur *περὶ τοῦ κωμικῶς λέγειν.* Scriptum enim legimus *περὶ μεθόδου δεινότητος* c. 34 vol. III. p. 440 sqq. W. vol. II. p. 453 Sp.: *Τοῦ κωμικῶς λέγειν ἅμα καὶ σκώπτειν ἀρχαίως τρεῖς μέθοδοι, τὸ κατὰ παρῳδίαν σχῆμα, τὸ παρὰ προσδοκίαν, τὸ ἐναντίας ποιεῖσθαι τὰς εἰκόνας τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, τούτων παραδείγματα λάβωμεν τὰ μὲν ἐκ τοῦ κωμικοῦ, [τὰ δὲ ἐκ τοῦ βίου],*[5]) *τὰ δὲ ἐκ τοῦ ῥήτορος.* Quae verba ad Peripateticorum doctrinam spectare mihi videntur. Nam

---

A. P. vol. I. p. 404, quem mira quadam ratione sequitur Kaibelius C. G. F. p. 51. Qui quamquam ipse p. 50 dixit Bernaysium meliore M. Bonneti apographo usum edidisse tractatum Coisl., tamen in apparatu critico non demonstrat, qua causa commotus ipse scripserit *ἀνακολουθίαν* atque *ἀκολουθίαν* improbaverit.

[1]) cf. Reichium l. s. s. vol. l. p. 242 sqq.

[2]) cf. Arndtium l. s. s. p. 5.

[3]) Ibidem p. 274 b. lin. 20 scriptum exstat: *καὶ παρὰ προσδοκίαν τοῦτον λαβὼν ἀλλ' οὐκ Εὐριπίδην, αὖθις ἐς τοὺς ζῶντας ἀνέρχεται.*

[4]) cf. Susemihlium: ‚Geschichte der griech. Litt. in der Alexandrinerzeit' vol. I. p. 443 et Koerteum in Hermae vol. XXXIX. (1904) p. 494 sqq.

[5]) Spengelius bene mihi videtur haec verba uncis seclusisse. Nam in eis, quae secuntur, priore loco afferuntur exempla ex comoediis assumpta, altero loco exempla ex Demosthene hausta. Ceterum Byzantinorum aetate verba illa in libris manuscriptis exstitisse intellegi potest ex Gregorii Corinthii *εἰς τὸ περὶ μεθόδου δεινότητος* commentario vol. VII. p. 1333 . Walz.

παρῳδία hoc modo ab Hermogene explicatur: *τὰ μὲν κατὰ παρῳδίαν οὕτως ἔχει,*

ὀλᾶς; Θέωλος τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει,

θέλων γὰρ εἰπεῖν τὴν κεφαλὴν κόρακος ἔχει διὰ τὸ τραυλὸς εἶναι δῆθεν ἁμαρτὼν τῇ φωνῇ διεκωμῴδησε τὸν τρόπον. Ex Demosthenis autem *περὶ στεφάνου* oratione ille hoc affert exemplum: *τῇ μὲν παρῳδίᾳ οὕτως, τὸν μὲν πατέρα ἀντὶ Τρόμητος ἐποίησεν Ἀτρόμητον.* Quis autem est, quin intellegat hoc loco idem nos habere atque *παρωνυμίαν* sive adnominationem? De illo *παρὰ προσδοκίαν* nil est, quod addam. De tertia autem specie Hermogenes haec dicit: *τὸ δὲ ἐναντίως χρῆσθαι ταῖς εἰκόσι πρὸς τὰ μεγέθη τῶν πραγμάτων οὕτω γίνεται, ἐὰν μεγάλῳ μικρὸν ἀντιτιθῶμεν, καὶ μικρῷ μέγα, οἷον ἐμαχέσαντο οἱ ὄρτυγες ὡς Αἴας καὶ Ἕκτωρ, καὶ Ἕκτωρ καὶ Ἀχιλλεὺς ἐμαχέσαντο ὡς ἀλεκτρυόνες.* Quae verba comparanda sunt cum eis, quae apud Demetrium personatum scripta exstant § 160: *Καὶ εἰκασίαι δ' εἰσὶν εὐχάριτες, ἂν τὸν ἀλεκτρυόνα Μήδῳ εἰκάσῃς.* Praeterea commemorandum est apud auctorem ad Herennium lib. I, 6, 10 easdem tres ridiculi species eodem ordine inveniri: ‚litterarum mutatione, praeter exspectationem,[1]) similitudine'. In Porphyrionis quoque commentario ad Horatium conscripto huius doctrinae vestigia exstant: ad serm. II, 1, 56: hoc *παρὰ προσδοκίαν* dixit' et ad serm II, 2, 62: ‚non parcus aceti: *παρὰ προσδοκίαν*.' Atque etiam apud Donatum ad Terenti Eunuch. I, 2, 18 vol. I. p! 287. Wessner similia inveniuntur: ‚Exclusti hunc foras *παρὰ προσδοκίαν* intulit intuens puellam et ei ostendens Phaedriam, ut ostendat, quam falsa ac repugnantia loquatur meretrix' et ibid. II, 1, 17 vol. I. p. 312: 'Tandem ne ego illa caream si sit opus vel totum triduum' sic coepit, tamquam aliquid forte dicturus et magnificum. non autem est *παρὰ προσδοκίαν,* sed vere amator magnum hoc putat'.[2]) Postremo locum ex commentario Melampodis seu Diomedis in artis Dionysianae § 1. haustum afferam p. 13, 23 H,: '*Ὡς τὸ ⟨ι 481⟩ κορυφὴ ὄρεος μεγάλοιο· ὁ γὰρ ἀκούσας τὸ κορυφὴ ὑπονοεῖ περί τινος ἐμψύχου εἰρῆσθαι· ὁ δὲ ἐπιφέρει ὄρεος καὶ ἔτρεψε τὸν ἀκούσαντα, ὡς προείρηται, ἀπὸ τοῦ προσδοκωμένου εἰς ἀπροσδόκητον, ἀπὸ ἐμψύχου εἰς ἄψυχον.*

Restat, ut paucis de extrema paragrapho tractatus Coisl. agam. Qua de re iudicium protulit Kaibelius in prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* p. 57 sq. Initium autem faciendum esse mihi videtur ex Ioannis Tzetzae in Aristophanem prooemio Pa p. 17 CGF. Kaibel. Ubi duo comoediae genera distinguuntur. Antiqua autem comoedia iterum est bipertita. Scriptum enim legimus l. s. s. p. 18: *καὶ αὐτὴ δὲ ἡ παλαιὰ ἑαυτῆς διαφέρει· καὶ γὰρ οἱ ἐν τῇ Ἀττικῇ πρῶτον συστησάμενοι τὸ ἐπιτήδευμα τῆς κωμῳδίας (ἦσαν δὲ οἱ περὶ Σουσαρίωνα) τὰ πρόσωπα ἀτάκτως*

---

[1]) cf. Plasbergium in mus. Rhen. vol. 53 (1898) p. 79 et Marxium proleg. ad auct. ad Herenn. p. 27, Arndtium p. 39, qui easdem species apud Ciceronem quoque exstare demonstravit. Apparet autem Quintilianum quoque illius *παρὰ προσδοκίαν* habuisse rationem lib. VI, 3, 84. cf. Arndtium p. 59.

[2]) cf. Trendelenburgium: Grammat. Graec. de arte trag. iud. rel. Bonnae 1867. p. 84 adn. 85.

εἰσῆγον καὶ γέλως ἦν μόνος τὸ κατασκευαζόμενον. In eis autem, quae secuntur, agitur de Cratino, qui quamquam propius accedebat ad Aristophanis rationem, tamen nondum plane ab antiquae comoediae proprietate erat abalienatus. Scriptum enim legimus apud Tzetzam: *ἐπιγενόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, στήσας τὴν ἀταξίαν, καὶ τῷ χαρίεντι τῆς κωμῳδίας τὸ ὠφέλιμον προσέθηκε ... ἀλλ' ἔτι μὲν καὶ οὗτος τῆς ἀρχαιότητος μετεῖχε καὶ ἠρέμα πως τῆς ἀταξίας.* Aristophanes autem ab antiqua comoedia quodammodo processit ad novam, id quod Tzetzes et anonymus quidam auctor, qui ex eodem fonte hausit atque Tzetzes,[1]) hoc modo explicant: *ὁ μέντοι γε Ἀριστοφάνης μεθοδεύσας τεχνικώτερον τὴν κωμῳδίαν τῶν μεθ' ἑαυτοῦ ἀνέλαμψεν ἐν ἅπασιν ἐπίσημος ὀφθεὶς καὶ οὕτω πᾶσαν κωμῳδίαν ἐμελέτησε· καὶ γὰρ τὸ τούτου δρᾶμα ὁ Πλοῦτος νεωτερίζει κατὰ τὸ πλάσμα· τήν τε γὰρ ὑπόθεσιν ὡς ἀληθῆ ἔχει καὶ χορῶν ἐστέρηται, ὅπερ τῆς νεωτέρας ὑπῆρχε κωμῳδίας.*[2]) Hac ratione Tzetzae verba esse interpretanda colligi potest ex Aristophanis vita, quam scriptam legimus apud Duebnerum in scholiis in Aristophanem conscriptis p. XXVII, in Westermanni biographis p. 155: ὃς (scil. *Ἀριστοφάνης*) *πρῶτος δοκεῖ τὴν κωμῳδίαν ἔτι πλανωμένην τῇ ἀρχαίᾳ ἀγωγῇ ἐπὶ τὸ χρησιμώτερον καὶ σεμνότερον*[3]) *μεταγαγεῖν, πικρότερον καὶ αἰσχρότερον Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος βλασφημούντων ἢ ἔδει. πρῶτος δὲ καὶ τῆς νέας κωμῳδίας τὸν τρόπον ἐπέδειξεν ἐν τῷ Κωκάλῳ, ἐξ οὗ τὴν ἀρχὴν λαβόμενοι Μένανδρός τε καὶ Φιλήμων ἐδραματούργησαν.* Hoc igitur loco Cratini et Eupolidis comoediae differunt ab Aristophanis fabulis. Cuius posteriores comoediae similiores sunt novae quae vocatur comoediae. Itaque intellegimus, quam difficile sit certam quandam normam comoedias dividendi atque distinguendi invenire. Quae cum ita sint, non est mirandum, quod homo Byzantinus, qui tractatum Coisl. ex ampliore de arte poetica universa libro excerpsit, totam rem confudit. Apparere enim iudico illum et Ioannem Tzetzam l. s. s. hausisse ex eodem fonte. Ille autem priore apud Tzetzam tradita parte, ubi duo comoediae genera distinguuntur, plane neglecta posteriorem tantummodo exscripsit, ubi de antiquae comoediae speciebus agitur. Sed ita rem instituit, ut notissimam tripartitionem hac in re ineptissime adhiberet.[4]) Contra meo iudicio ex eis, quae apud Tzetzam scripta exstant, colligendum est in communi illo fonte duo comoediae genera esse commemorata. Quae bipartitio fortasse est referenda ad Pergamenos.[5])

Sed ut summam totius disputationis faciamus, quaeritur, num quid

---

[1]) cf. Kaibelium CGF p. 17 adn. III.

[2]) cf. Kaibelium l. s. s. p. 58, CGF. p. 18 adn. 30.

[3]) cf. Tzetzae verba supra allata cum tractatus Coisl. verbis: *νέα ἡ τοῦτο μὲν προιεμένη, πρὸς δὲ τὸ σεμνὸν ῥέπουσα.*

[4]) Tzetzes quoque l. s. s. p. 17 illud *τὸ μέσον* male addidit.

[5]) cf. Kaibelium in Hermae vol. XXIV (1889) p. 57 sqq., cui Heydenreichius in eo libro, qui inscribitur: de Quintiliani instit. orat. libro X, de Dionysii Halic. de imitatione lib. II, de canone qui dicitur Alexandrino quaestiones diss. Erlang. 1900 p. 20 sqq. assentitur. Sed Kaibelius ipse dubitat, rectene iudicaverit, in Prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* p. 50.

ex eis, quae exposuimus, lucremur, ut adumbrare possimus, quonam tempore tractatus Coisl. fons sit scriptus. Qua in re reputanda sunt ea, quae de mimi dramatici origine diximus. Praeterea vidimus in tractatu nonnulla inveniri, quae imprimis primo a. Chr. n. saeculo adamabantur. Huc accedit, quod ille magna ex parte consentit cum Aristotelis arte poetica et cum Theophrasti sive Demetrei Phalerei περὶ χάριτος libro. Quae cum ita sint, concludendum esse iudico tractatus Coisl. fontem esse ortum eis temporibus, quibus Aristoteli eiusque discipulis viri docti operam navabant atque eiusmodi studia litterarum florebant. Quod illorum operibus ab Andronico Rhodio editis primo a. Chr. n. saeculo fuisse inter omnes constat.[1]) His tot argumentis commotus optimo iure existimare mihi videor librum illum de arte poetica compositum, ex quo et is, qui tractatum Coisl. excerpsit, et alii auctores hauserunt, primo a. Chr. n. saeculo esse assignandum.

Caput II.

De Isidoro.

Isidori Originum libri VIII caput 7 mihi videtur esse dignum, quod accuratius tractetur. Illius enim de litterarum historia loci mea quidem sententia plurimum valent ad quaestionem difficillimam, quemnam auctorem secutus sit Diomedes in capite de poematibus inscripto, inlustrandam atque solvendam. Nam si quaerimus, quibus ex fontibus Isidorus in capite illo hauserit, opportune accidit, quod duo auctores ab eo ipso nominantur. Paragraphum enim primam et alteram debet ille Suetonio, paragraphum tertiam Varroni. Scriptum enim legimus apud

Varronem de lingua Latina VI, 52:	Isidorum
‚idem vaticinari, quod vesana mente faciunt.' ibid. VII, 36: ‚Antiquos poetas vates appellabant a versibus viendis, ut de poematis cum scribam, ostendam.	Vates a vi mentis appellatos Varro auctor est, vel a viendis carminibus, id est flectendis, hoc est modulandis: et proinde poetae Latine vates olim et scripta eorum vaticinia dicebantur, quod vi quadam et quasi vesania in scribendo commoverentur, vel quod modis verba conecterentur, viere antiquis pro vincire ponentibus, etiam per furorem.

Itaque tota haec Isidori paragraphus ad Varronem est referenda. Neque vero est verisimile illum ex hoc ipso materiam sumpsisse.[2]) Sed secundum ea, quae exposuit O. Jahnius in musei Rhen. vol. IX p. 629, rem ita se habere iudico, ut Varronis verba a Suetonio sint allata.[3])

---

1) cf. Susemihlium l. s. s. vol. II p. 301 sqq.
2) cf. Teuffelium hist. litt. Roman. vol. I⁵ § 169, 1.
3) Eandem sententiam protulit G. Koertgeus in diss. philol. Hal. XIV (1901) p. 253 (in Suetonii de viris illustribus libros inquisitionum capita tria).

Paragraphus autem quarta, quae haec praebet verba: „Lyrici poetae *ἀπὸ τοῦ λυρεῖν*, id est a varietate carminum. Unde et lyra dicta' quo ex fonte emanaverit, difficile est diiudicatu, praesertim cum illud *λυρεῖν* nusquam invenerim. Huc accedit, quod in excerptis ex glossariis Romanis et Cassinensibus factis Corp. Gloss. Lat. V p. 523, 30 scripta exstant:[1] „Lyrici poetę avarietate carminum dicti,' quae verba ex Isidoro fluxisse statuendum esse iudico.[2]) Hoc autem loco illud *λυρεῖν* deest. Sed fortasse tota haec doctrina est referenda ad meliorem auctorem. Nam verba illa „a varietate carminum' comparanda esse mihi videntur cum eis, quae scripta legimus apud Photium in Procli chrestom. p. 319 b 32 B.: *Περὶ δὲ μελικῆς ποιήσεώς φησιν ὡς πολυμερεστάτη τε καὶ διαφόρους ἔχει τομάς.*

Sed maioris sunt momenti, quae de poesi dramatica traduntur. Conferas velim ea, quae praebet

Isidorus XVIII, 45:	Isidorus VIII, 7, 6:	Diomedes p. 58, 151 K.:
Tragoedi sunt, qui antiqua gesta atque facinora sceleratorum regum luctuoso carmine spectante populo concinebant. ibid. 46: Comoedi sunt, qui privatorum hominum acta dictis aut gestu canebant, atque stupra virginum et amores meretricum in suis fabulis exprimebant.	Sed comoedi privatorum hominum praedicant acta, tragici vero res publicas et regum historias. Item tragicorum argumenta ex rebus sunt luctuosis, comicorum ex rebus laetis.	comoedia a tragoedia differt, quod in tragoedia introducuntur heroes duces reges, in comoedia humiles atque privatae ⟨personae⟩, in illa luctus, exilia, caedes, in hac amores virginum raptus; deinde quod in illa frequenter et paene semper laetis rebus exitus tristes † et liberorum fortunarumque priorem in peius adgnitio † . . . nihil aliud esse tragoediam quam miseriarum comprehensionem.

Ceterum Varronis doctrina subesse mihi videtur apud Marium Victorinum Gramm. Lat. VI p. 15, 16: „Qui versus facit *παρὰ τὸ ποιεῖν* dictus est *ποιητής*, latina lingua vates, quod verba modulatione conectat. viere enim conectere est; unde vimen dictum virgulti species et vitis et vietoris.' Quibuscum verbis conferas velim Diomedem C G F. p. 61, 235: „is qui versum facit dictus *ποιητής*.' His de verbis quae exposuit Buchholzius in annal. Fleckeisen. vol. 155 (1897) p. 136 sqq., ea equidem minime probo. Primum enim est reputandum derivationem illam Varronis apud Diomedem l. s. s. exempli causa afferri. Deinde mea quidem sententia optimo iure tota quaestio sic potest absolvi, ut Varronis derivationem traditam esse a Suetonio statuamus. Qui cum eam non probaret, ipse aliam protulit, quae ab Isidoro l. s. s. VIII, 7, 1 affertur.

[1]) cf. Goetzium praef. p. XVIII.

[2]) cf. Goetzium: „Der Liber Glossarum' in comment. soc. litt. Sax. ord. philol.-hist. vol. XIII (1891) p. 213 sqq.

Quibus locis comparatis nemo erit, quin intellegat haec omnia ex uno eodemque fonte fluxisse. In quo tragoediam cum comoedia esse conlatam ex locis supra scriptis apparere iudico. Sed si quaerimus, quisnam fuerit communis ille auctor, ansam nobis praebet Isidorus in Originum libro XVIII. Ubi inde a § 16. usque ad § 59. Isidorum Suetonii librum, qui inscribitur ludicra historia sive *περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις θεωριῶν καὶ ἀγώνων*, in usum suum convertisse probante Meiero [1]) statuit Reifferscheidius, id quod mihi quidem comprobari videtur eis verbis, quae initio totius partis ex Suetonii ludicra historia sumptae scripta exstant lib. XVIII, 16, 1: ‚Spectacula, ut opinor, generaliter nominantur voluptates, quae non per semetipsa inquinant, sed per ea, quae illic geruntur. Dicta autem spectacula eo, quod hominibus publica ibi praebeatur inspectio. Haec et l u d i c r a nuncupata, quod in ludis gerantur aut in scaenis.' Quae cum ita sint, Diomedem quoque ex Suetonii ludicra historia hausisse statuendum est, id quod O. Iahnius l. s. s. coniecerat. Itaque Buchholzii sententia, quam protulit in annal. Fleckeisen. vol. 155 (1897) p. 136 sqq., labefactatur; qui Diomedem ex Valerii Probi commentariis materiam suam hausisse censet.

Iam erit agendum de derivationibus vocum ‚tragoedi' et ‚comoedi' apud Isidorum traditis. His quoque locis certam quandam rationem inter Isidorum et Diomedem intercedere ex hac comparatione facile potest intellegi:

Isidorus VIII, 7, 5:	Diomedes p. 57, 127 Kaibel:
Tragoedi dicti, quod initio canentibus praemium erat hircus, quem Graeci *τράγος* vocant. Unde et Horatius: Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.	tragoedia, ut quidam, a *τράγῳ* et *ᾠδῇ* dicta est, quoniam olim actoribus tragicis *τράγος*, id est hircus, praemium cantus proponebatur . . . et Horatius in arte poetica (v. 220 . 221).
id. VIII, 7, 6: Comoedi appellati sive a loco, quia circum pagos agebant, quos Graeci *κώμας* vocant, sive a comesatione. Solebant enim post cibum homines ad eos audiendos venire.	id. p. 57, 142 Kaibel: comoedia dicta *ἀπὸ τῶν κωμῶν* (*κῶμαι* enim appellantur pagi, id est conventicula rusticorum) . . . vel *ἀπὸ τοῦ κώμου*, id est comisatione, quia olim in eiusmodi fabulis amantium iuvenum *κῶμοι* canebantur.

Hanc derivationem ad Varronem esse referendam ex eis apparet, quae scripta exstant de lingua Latina VII, 89: ‚Apud Ennium:

Si voles advortere animum, comiter monstrabitur —;

comiter: hilare ac lubenter, quoius origo Graeca *κῶμος*; inde comissatio Latine dicta; et in Graecia, ut quidam scribunt, comodia,' illa autem Diomedis testimonio ipsa quoque ex Varrone fluxit. Isidorus autem perperam derivat illud ‚comesatione', quod praebet pro ‚comissatione', a voce comedendi.[2])

---

[1]) cf. P. J. Meierum de gladiatura Romana diss. Bonn 1881 p. 7.

[2]) cf. Waldeum, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, Heidelberg 1905 p. 135.

Iam ad satyricos veniamus. Quae § 7 ab Isidoro proferuntur, maximam partem merae sunt nugae.[1]) Tamen nonnulla usui esse nobis censeo. Scriptum enim legimus apud

Isidorum VIII, 7, 7:
Satyrici, a quibus generaliter vitia carpuntur, ut Flaccus, Persius, Juvenalis et alii. Hi enim universorum delicta corripiunt, nec vitabatur ab eis pessimum quemque describere, nec cuiuslibet peccata moresque reprehendere.
ibid. VIII, 7, 8: Satyrici autem dicuntur, sive quod pleni sunt omni facundia sive a saturitate et copia — de pluribus enim simul rebus loquuntur — seu ab illa lance quae diversis frugum vel pomorum ⟨cum⟩ generibus ad templa gentilium solebat deferri; aut a satyris nomen dictum, qui inulta habent ea, quae per vi⟨n⟩olentiam (violentiam codd) dicuntur.[2])

Diomedem p. 55, 77. Kaibel:
Satura dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum.
ibid. p. 56, 81 Kaibel: satura autem dicta sive a saturis,[3]) quod similiter in hoc carmine ridiculae res pudendaeque dicunter, quae velut a saturis proferuntur et fiunt, — sive satura a lance, quae referta variis multisque primitiis in sacro apud priscos diis inferebatur, et a copia ac[4]) saturitate rei satura vocabatur.

Certam autem quandam rationem inter locos allatos intercedere apparere iudico. Sed cum ex Suetonio Isidorum materiam suam hausisse supra demonstraverimus, verisimillimum est haec quoque illi deberi, praesertim cum nonnulla ad Varronem possint referri, quem a Suetonio passim esse exscriptum inter omnes constat. Huc accedit, quod Isidorus aliis quoque Originum locis Suetonium in usum suum convertit, imprimis eum librum, qui inscribitur pratum.[5]) Hoc si verum est, Diomedem quoque ex Suetonio sumpsisse concludendum est.

Exstant autem apud Isidorum alii quoque loci ad historiam litterarum spectantes. Sed quaeritur, utrum cum Diomede aliqua ratione consentiant necne. Scriptum enim legimus apud

---

[1]) cf. Marxium C. Lucilii carminum reliqu. vol. I prol. p. XII.
[2]) cf. Marxium l. s. s. p. CXXII.
[3]) cf. Marxium l. s. s. p. CXX sq.
[4]) Isidori loco comparato cum hoc Diomedis ea, quae in codice A aetatem tulerunt, praeferenda esse mihi videntur. Itaque scribam apud Diomedem ‚copia ac saturitate' p. 56, 84 Kaibel. cf. excerpta ex glossariis Romanis et Cassinensibus cod. Vatican. 1468. Corp. gloss. Lat. V p. 513, 27: ‚Satirici poetę a saturitate dicti et copia eo quod pleni sunt om̄a facundia.' cf. Marxium l. s. s. p. CXX. Similia inveniuntur in eis, quae in Persii editione principe post vitam secuntur p. 241 ed. Jahn. Lips. 1843: ‚Satira genus est clarnus vel lancis multis ac variis frugum generibus plenus. Clarnus potest appellari discus vel mensa, quae referta sacrificiis Veneri consuevit offerri. Dicta autem satira a saturitate et quod plena sit conviciis et reprehensionibus hominum.'
[5]) cf. Teuffelium hist. litt. Rom.[5] p. 875 lin. 21 et p. 1295 lin. 8.

Isidorum I, 16, 4:
Iambus dictus est eo, quod ἰαμβίζειν Graeci detrahere dixerunt. Huiusmodi enim carmine omnes invectiones vel detractiones implere soliti sunt poetae. Dictum autem nomen ab eo, quod veluti venenum quodammodo maledicti aut livoris infundat.

Diomedem p. 55, 67 Kaibel:
Iambus est carmen maledicum, plerumque trimetro versu et epodo sequente compositum, ut (Hor. 10, 1 . 2) appellatum est autem παρὰ τὸ ἰαμβίζειν, quod est maledicere.

Isidori verba inveniuntur in eo capite, quod inscribitur de pedibus. Sed quae de iambo proferuntur, ad artem poeticam, non ad artem metricam quadrant. Itaque verba illa Isidori referenda sunt ad alium fontem atque ea, quae de pedibus dicuntur.

Iam accedamus ad Isidori caput de metris conscriptum. In quo ipsa quoque nonnulla inveniuntur, quae ad artem poeticam sunt referenda. Primo autem loco afferam definitiones vocum ‚poesis’ et ‚poema’. Isidorus enim I, 38, 21 haec habet verba: ‚Poesis dicitur Graeco nomine opus multorum librorum, poema unius,’ Diomedes G. L. I, 473, 18 Keil.: ‚poema pars operis, ut tragoedia, poesis contextus et corpus totius operis effecti, ut Ilias Odyssia Aeneis.’ [1]) Totam hanc quaestionem nuperrime tractavit Marxius in commentario ad Lucilii versum 338 vol. II (1905) p. 129 sq. Cuius iudicio Isidori doctrina magis accedit ad rhetorum definitiones vocum illarum, Diomedis verba magis ad Lucilium. Neque vero comparari possunt cum Diomede, quae Isidorus de carmine heroico profert I, 38, 9 sqq. Eadem autem ratione est iudicandum de eis, quae Isidorus dicit de elegiaco metro I, 38, 14 . 15. Aliter res se habet eo loco, ubi carmen bucolicum commemoratur. Scriptum enim legimus apud

Isidorum I, 38, 16:
Bucolicum, id est pastorale carmen plerique primum compositum a pastoribus opinantur, nonnulli Lacedaemone. Nam transeunte in Thraciam Xerxe rege Persarum, cum Spartanae virgines sub hostili metu neque egredi urbem auderent, neque pompam chorum-

Diomedem p. 56, 97 K.:
Bucolica dicuntur poemata secundum carmen pastorale compositum. instituta autem sunt, sicut quidam putant, in Laconica vel, ut alii, in Sicilia . . . quo tempore adventante Xerxe in Graeciam omnes deserta Laconica metu barbarorum perterriti in diversas partes fu-

Probum vol. III, 2 p. 324 ed. Thilo-Hagen.
Nam cum Xerxes Graeciam adfectaret et terribilis esset, relictis civitatibus omnes Graecae in deserta loca refugerunt . . . Nam forte ipso die reverterunt in patriam suam victores,

[1]) Hoc loco subiungam ea, quae apud Diomedem l. s. s. antecedunt definitioni vocum ‚poema’ et ‚poesis’: ‚Poetica est fictae veraene narrationis congruenti rhythmo ac pede composita metrica structura ad utilitatem voluptatemque accomodata.’ Conferas velim Horatii verba, quae scripta exstant in arte poet. v. 333: ‚aut prodesse volunt aut delectare poetae.’

que agrestem de more Dianae exercerent, turba pastorum, ne religio praeteriret, eundem inconditis cantibus celebrarent. Appellatur autem Bucolicum a bobus de maiori parte animalium, quamvis opilionum caprariorumque sermones in iis et cantica inferantur.

gisse creduntur et cum virgines timore laterent, ex hoc evenisse ut eo die quo solitus erat chorus virginum Dianae Caryatidi hymnum canere nemo ad solemne sacrificium inveniretur. Tunc itaque pastores ex rure in urbem convenerunt et, ne ritus sacrorum interrumperetur, pastorali carmine composito deae honorem celebraverunt. Unde est bucolismus dictus.

quo fieri sacra eidem Deae competebat. Sed quoniam praesentia virginum deesset, quae ea celebrare consueverant, ne sacrificium intermitteretur, pastores ex vicinis agris contraxerunt et per eos sacra expedierunt adhibitis carminibus etiam rusticis. Ritum autem sacrorum bucolicon appellarunt, non quoniam soli boum pastores ibi fuerint, sed quoniam boves pecora praestarent magnitudine.

Quos tres locos inter se cohaerere, imprimis Isidorum et Diomedem arte inter se esse coniunctos nemo negabit. Neque vero ea probo, quae Thilo in annal. Fleckeisen. vol. 149 (1894) p. 294 protulit. Cui quamquam concedendum est Probum paulo differre ab Isidoro et Diomede, tamen, quae Probus III, 2 p. 324 ed Thilo-Hagen dicit: ‚Nam forte ipso die reverterunt, quo fieri sacra eidem Deae competebat', mea quidem sententia non sunt ita premenda, ut fecit Thilo. Nam facile fieri poterat, ut auctor aliquis eiusmodi minutias suo adderet arbitrio, cum alii eas refutarent. Tres autem loci supra allati in universum congruere mihi videntur.

In eis, quae secuntur, apud Isidorum threnos tractatur I, 38, 19: ‚Threnos, quod Latine lamentum vocamus . . . Post hunc apud Graecos Simonides poeta lyricus. Adhibebantur autem funeribus atque lamentis similiter et nunc.' Sid rem spectamus, simila inveniuntur apud Diomedem eo loco, ubi agitur de elegia p. 55, 56 Kaibel: ‚elegia autem dicta sive *παρὰ τὸ εὖ λέγειν τοὺς τεθνεῶτας* (fere enim defunctorum laudes hoc carmine comprehendebantur) sive *ἀπὸ τοῦ ἐλέου,* id est miseratione, quod *θρήνους* Graeci ⟨vel⟩ *ἐλεεῖα* isto metro scriptitaverunt; cui opinioni consentire videtur Horatius, cum ad Albium Tibullum elegiarum auctorem scribens ab ea quam diximus miseratione elegos miserabiles dicit, hoc modo: neu miserabiles decantes elegos. apud Romanos autem id carmen, quod cum lamentatione extremum atque ultimum mortuo accinitur, nenia dicitur.'

Denique epodos commemoro. De quibus agit

Isidorus I, 38, 23:

‚Epodon in poemate clausula est brevis. dictum autem epodon, quod adunatur ad speciem elegiaci, ubi

Diomedes p. 55, 71 Kaibel:

ἐπῳδοὶ dicuntur versus quolibet metro scripti et sequentes clausulas habentes particularum, quales

praemisso uno longiore alter brevior componitur, atque in singulis quibusque maioribus sequentes minores quasi clausulae recinunt,' quae doctrina inlustratur exemplo ex Horatio sumpto.

sunt epodoe Horatii, in quibus singulis versibus singulae clausulae adiciuntur, ut (epod. 15. 16) et quicumque sunt similes. dicti autem ἐπῳδοὶ συνεκδοχικῶς a partibus versuum quae legitimis et integris versibus ἐπᾴδονται, id est accinuntur.[1])

Sed ex eis, quae adhuc disputavimus, intelleximus Isidorum multis locis congruere cum Diomede. Illum autem ex Suetonio, quem saepius ab illo esse adhibitum constat,[2]) materiam suam hausisse supra demonstravimus. Quae cum ita sint, Isidori locos ad historiam litterarum spectantes maximam partem Suetonio deberi meo iudicio est concludendum. Hoc si verum est, Diomedes quoque ex Suetonio pendet.[3]) Neque tamen est neglegendum Isidorum in uno eodemque capite complures fontes quasi contaminasse, quare difficile est diiudicatu, quid in eo capite, quod est de metris, Suetonio, quid metrico auctori ille debeat. De toto autem Diomedis capite infra pauca addam.

Restat, ut de extremo Isidori capite (VIII, 7) paucis agam. Paragraphus enim nona Isidoro ipsi ut homini Christiano esse attribuenda videtur. § 10 autem illius auctorem fuisse Servium censeo. Conferas velim

Servium ad Aen. I, 382: 'Matre Dea Monstrante Viam' hoc loco per transitum tangit historiam, quam per legem artis poeticae aperte non potest ponere ... quod autem diximus eum poetica arte prohiberi ne aperte ponat historiam, certum est. Lucanus namque ideo in numero poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse, non poema.

Isidorum Orig. VIII, 7, 10: Officium autem poetae in eo est, ut ea, quae vere gesta sunt, in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa transducat. Unde et Lucanus ideo in numero poetarum non ponitur, quia videtur historias composuisse, non poema.[4])

Permagni autem nostra interest in hac paragrapho Servii doctrinam esse prolatam ab Isidoro, quia in eis, quae secuntur, Servium esse adhibitum supra demonstravimus.

Isidorum autem ad verbum exscripsit Papias, qui saec. XI. ele-

---

[1]) cf. Marium Victorinum G. L. VI p. 58, 2: 'quaecumque alio quolibet metro scripta sequentes clausulas quorumlibet metrorum ad se trahunt, ita appellabuntur, quia proodicis versibus ἐπᾴδονται, id est accinuntur.'

[2]) cf. Marxium l. s. s. p. LXXVI: Isidorus vulgo fertur e Suetonio versus Lucilii sumpsisse.

[3]) Wessnerus in eo libello, qui inscribitur: 'Untersuchungen zur lateinischen Scholienlitteratur (ad Bremae portum 1899)' p. 1—16. ea, quae docet Euanthius de fabula et quae in excerptis de comoedia in Terentii libris manuscriptis traditis inveniuntur, ex eodem fonte fluxisse atque Diomedis doctrinam demonstravit. Ex eis autem, quae supra exposuimus, sequitur communem illum auctorem fuisse Suetonium.

[4]) cf. Teuffelium, hist. litt. Rom.[5] § 303, 5 (vol. II. p. 739).

mentarium doctrinae rudimentum composuit.[1]) Inspexi in bybliotheca universitatis Lipsiensis librum, qui impressus est Augustae Vindelicorum in monasterio SS. Udalrici et Afrae a. 1472—1475. Ubi fol. 278 v. s. v. ‚poesis' scriptum legimus: ‚poesis dicitur Graeco nomine opus multorum librorum, poema unius libri', quae verba ex Isidori Originum libro I, 38, 21 sunt sumpta. Inde autem a verbis: ‚Sic enim ait Tranquillus' usque ad verba: ‚et introductae personae loquuntur' Papias congruit cum eo Isidori capite, de quo supra fusius egimus. Sed Papias: ‚id genus quod forma quadam efficitur, qua poetae dicuntur,' Isidorus: ‚id genus quia forma quadam efficitur, quae ποιότης dicitur.'

Sed pauca de toto Diomedis capite de poematibus inscripto hoc loco subiungam. Graecam autem doctrinam subesse primo obtutu apparet. Neque vero est neglegendum ea, quae initio totius capitis de singulis poesis partibus proferuntur, artissime cohaerere cum ea arte poetica, ex qua hausit et is, qui tractatum Coisl. conscripsit, et Proclus Neoplatonicus. Illam autem artem poeticam primo a. Chr. n. saeculo esse compositam supra demonstrare conati sumus. Sed quaeritur, quisnam hanc doctrinam in Romanorum artem transtulerit. Qua in re absolvenda initium est faciendum a Diomedis capitis particula decima, ubi de togata fabula agitur. Huius autem particulae auctorem esse Varronem demonstravit Usenerus in relat. acad. Bavar. 1892 p. 618 sqq. Neque vero quisquam negabit togatae fabulae quadripartitionem esse institutam secundum Graecam illam: tragica, comica, satyrica, mimica. Huc accedit, quod ei poetae, qui in particula illa nominantur, fuerunt ante Varronis aetatem.[2]) Quae cum ita sint, non est, cur non sequamur Useneri sententiam. Sed totum de togata fabula caput a Varrone insertum est in Graecum illum ordinem: tragoedia comoedia satyrica mimus. Itaque Buchholzii sententia est reicienda, quam protulit l. s. s. p. 142. Ex Varrone autem materiam suam sumpsit Suetonius, quem etiam commentarios ad Vergilium conscriptos veluti Probi adhibuisse est verisimile. Eundemque nonnulla ex Horatii arte poet. addidisse statuendum esse iudico. Magna autem cum probabilitatis specie capita, quae sunt de satura et de bucolicis, ab eodem in hanc artem poeticam esse redacta existimare mihi videor. Atque extremam commentationem a Diomede de poematibus traditam Suetonio esse attribuendam vel inde apparet, quod Tranquillus ipse nominatur. Suetonii autem verba in usum suum convertit Diomedes. Sed in tota hac quaestione absolvenda difficile est dictu, quid singulis locis singuli auctores addiderint, commutaverint, omiserint.

---

[1]) cf. Teuffelium l. s. s. § 42, 9 (vol. I. p. 72), Pökelium: Philologisches Schriftstellerlexikon p. 200 (Lips. 1882), Loeweum prodr. gl. p. 235, Goetzeum in comment. soc. litt. Sax. cl. philol.-hist. vol. XIII (1891) p. 248.

[2]) Quod CGF. p. 59, 184 Kaibel. Horatius affertur, hoc meo quidem iudicio est tribuendum Suetonio.

Appendicula.

De iudiciis ad artem poeticam spectantibus, quae in hypothesibus Theocriteis traduntur, nonnulla hoc loco proferam. Duo omnino genera distinguenda esse iudico. Priore autem loco ea enumerabo exempla, quae ampliora praebent de arte poetica iudicia. Scriptum enim legimus in hypothesi ad idyll. I. conscripta (Ahr. p. 11, Ziegl. p. 4 et 98): *ἔστι δὲ ἀμοιβαῖον καὶ δραματικώτερον μὴ ὑποκειμένου τοῦ ποιητικοῦ προσώπου.* Quae verba ex vetustiore fluxisse mihi videntur fonte, quod Tzetzam hanc hypothesin adhibuisse infra videbimus. Simili ratione ad idyll. IV. (Ahr. p. 13, Ziegl. p. 32 et 99) adnotantur: *πρὸς ἀλλήλους διαλέγονται ἀμοιβαίως,* ad idyll. V. (Ahr. p. 15): *δραματικώτερον δέ ἐστι τοῦτο τὸ εἰδύλλιον τοῦ προσώπου τοῦ ποιητοῦ μὴ ἐμφαινομένου,*[1] ad idyll. VI. (Ahr. p. 16, Ziegl. p. 46): *ἀμοιβαίως τὴν περὶ τοῦ Κύκλωπος ὑπόθεσιν ᾄδουσιν.* Sed quae in hypothesi ad idyll. VIII. conscripta inveniuntur (Ahr. p. 19, Ziegl. p. 62): *ὁ δὲ λόγος ἐκ τοῦ ποιητικοῦ προσώπου,* congruunt cum eis, quae ad idyll. XII. (Ahr. p. 23, Ziegl. p. 75) adnotantur: *ὁ δὲ λόγος ἐκ τοῦ ποιητικοῦ προσώπου πρὸς ἐρώμενον.* Praeterea sunt hi loci commemorandi: ad idyll. X.: *ἀλλήλοις διαλεγόμενοι* (Ahr. p. 20, *προςδιαλεγόμενοι ἀλλήλοις* Ziegl. p. 67), ad idyll. XI. (Ahr. p. 22, Ziegl. p. 72): *προσδιαλέγεται δὲ ὁ Θεόκριτος ἰατρῷ Νικίᾳ,* ad idyll. XIII. (Ahr. p. 24, Ziegl. p. 78): *Πάλιν δὲ τῷ Νικίᾳ προσδιαλέγεται ὡς καὶ ἐν τῷ Κύκλωπι.* Jam sequitur, ut de eis agam, quae ad idyll. XV. adnotantur: *ἔστι δὲ κεχωρισμένον τοῦ ποιητικοῦ προσώπου* (Ahr. p. 26, Ziegl. p. 86). Quibuscum verbis congruunt ea, quae scripta legimus in schol. Londin. in artis Dionys. § 1 p. 450, 5 Hilg.: *δραματικὸς δὲ ὁ κεχωρισμένος τοῦ ποιητικοῦ προσώπου.* Haec scholiastae verba cum Proclo Neoplatonico sint assignanda, facile fieri potuit, ut Eratosthenes, a quo hypotheses in eam formam, quae ad nos pervenit, esse redactas censet Ahrensius vol. II. praef. p. XXXIV, Procli verba adhiberet. Eius enim chrestomathiam ad litterarum historiam posteriorum temporum auctoribus tradendam magni fuisse momenti censet Kaibelius in prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* p. 18. Quibus locis allatis singula artis vocabula, de quibus passim egimus, omnino non invenimus. Rarissima huius doctrinae vestigia exstant in hypothesibus. Veluti scriptum legimus ad idyll. VIII. (Ahr. p. 19): *μικτὸν διηγηματικόν,* ad idyll. IX in codice Gen.ᵃ (Ahr. p. 20): *τὸ δὲ εἰδύλλιον δραματικὸν καὶ διηγηματικόν· δραματικὸν ὡς ἔχον τὸ τοῦ Δάφνιδος πρόσωπον, διηγηματικὸν δὲ διὰ τὴν τοῦ νομέως διήγησιν,* ad idyll. XIV. (Ahr. p. 25, Ziegl. p. 82): *ἐν τούτῳ τῷ εἰδυλλίῳ διήγησίς ἐστι καταστάσεως ἐρωτικῆς.* His locis subiungam ea, quae scripta legimus ad idyll. XII. apud Ahrensium vol. II. p. 345: *ἔστι δὲ τὸ εἶδος ἀφηγηματικόν· ἀφ' ἑνὸς γὰρ προσώπου προάγεται ὁ λόγος, τουτέστι τοῦ Θεοκρίτου.*

Sed ad alteram exemplorum seriem accedamus. Quibus locis

---

[1]) Zieglerus p. 38 hunc praebet textum: *δραματικώτερον [δέ ἐστι τὸ εἰδύλλιον] τοῦ ποιητικοῦ προσώπου μὴ συνεκφαινομένου.*

brevissime indicatur, utrum idyllium sit *δραματικόν* an *διηγηματικόν* an tale aliquid. Veluti *δραματικόν* adnotatur ad idyll. I. (Ahr. p. 30) IV. (Ahr. p. 154) V. (Ahr. p. 179) IX. (Ahr. p. 302) X. (Ahr. p. 312) XIV. (Ahr. p. 370) XV. (Ahr. p. 384), *διηγηματικόν* ad idyll. II. (Ahr. p. 90) VI. (Ahr. p. 221) VII. (Ahr. p. 236) XI. (Ahr. p. 331) XIII. (Ahr. p. 353), *διηγηματικὸν καὶ δραματικόν* ad idyll. VIII. (Ahr. p. 286). Praeterea idyll. XII. *προσφωνητικόν* (Ahr. p. 345) et idyll. XVI. *ἐγκωμιαστικόν* (Ahr. p. 407) appellatur, quae artis vocabula etiam in inscriptionibus carminum Horatianorum inveniuntur.[1])

Quibus ex locis allatis intelleximus apud Theocriti scholiastas item atque apud eos, qui Vergilii bucolica sunt interpretati, eiusmodi de arte poetica exstitisse iudicia. Atque Vergilii interpretes hac in re Theocriti scholiastarum rationem esse imitatos apparere iudico.

[1]) cf. Zarnckeum de vocabulis Graecanicis quae traduntur in inscriptionibus carminum Horatianorum diss. Argent. 1880. p. 24 et 38 sqq. agit de prosphonetice, p. 23 et p. 28 sqq. de encomiastice.

Pars altera.

De Anecdoto Estensi.[1])

In prolegomenis ad Hesiodum conscriptis Tzetzes demonstrat, quae ratio ei sit sequenda, qui operi poetico interpretando studeat. Illius enim sententia incipiendum est a poesis generibus definiendis explicandis, singulorum generum poetis optimis enumerandis. Deinceps ad eum poetam accedendum esse Tzetzes censet, quem interpretari sit propositum.[2]) Eo autem loco, quo ipse hoc facere debet (p. 12, 12 sqq.) dicit nuperrime hac de re se egisse in iambis *περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* (apud Kaibelium in Com. Graec. Fragm. I. p. 34 sqq.) et in prolegomenis ad Lycophronem conscriptis, quae hoc loco fratri suo attribuit. Quibus ex operibus cognosci posse Tzetzes iudicat, qua ratione operum poeticorum prolegomena sint instituenda *(μὴ κατοκνείτω ταῦτα πρὸ πάσης πυκτίδος ποιητικῆς προτιθέναι* p. 12, 19 Gaisf.).

Hanc autem totam materiam in certam quandam dispositionem atque ordinem redactam esse apparet. Sed saepenumero dispositio illa ita turbabatur, ut id poesis genus, cuius poeta Tzetzae erat propositus ad interpretandum, in fine totius prooemii poneretur. Veluti ultimo loco Tzetzae in Lycophronem prolegomenorum inveniuntur *μονῳδοί* (p. 261 M.), quo in numero erat Lycophron ipse, in eiusdem ad Hesiodum praefatione ultimum locum obtinent poetae epici *(ποιηταὶ κατ' ἐξοχήν),* in quibus numeratur *καὶ ὁ Ἀσκραῖος οὗτος Ἡσίοδος, οὗπερ ἐπεξηγεῖσθαι τὴν βίβλον ἐπεβαλόμεθα* (p. 14 G.). Simili autem modo iudicandum est de Andronici Pseudepigraphi tractatu *περὶ τάξεως ποιητῶν,* qui ipse quoque prooemii ad Hesiodum conscripti locum videtur tenuisse.[3])

Eiusmodi prolegomena ad Theocritum quoque composita aetatem tulerunt; neque vero adhuc sunt publici iuris facta. Sed reliquias tantummodo habemus veluti in capite illo *περὶ τῶν τῆς ποιήσεως*

---

[1]) In hoc capite quae de codice Estensi proferuntur, Immischius comiter et benigne mecum communicavit.

[2]) *Πρῶτα μὲν γὰρ ἐχρῆν διαίρεσιν φάναι τῶν ποιητῶν καὶ τίνα τούτων χαρακτηρίσματα καὶ τίνες τούτων οἱ περιβόητοι. ἔπειτα τὸ γένος εἰπεῖν τοῦ προκειμένου πρὸς ἐξήγησιν κτλ.* p. 11, 3 Gaisf. (ed. Lips.).

[3]) cf. ea, quae exposuit L. Cohnius in commentationibus philologis in honorem M. Hertzii p. 130—133.

χαρακτήρων (VIII. Ahrens; p. 2 Ziegler), quod adhibitum est in eis ad Hesiodum prolegomenis, quae addicuntur Proclo (p. 5 G.)[1]

Ampliora ad Theocritum prolegomena inveniuntur in codice Estensi α V 9, 22 (quondam III C 14), de quo egit Puntonius in catalogo librorum manuscriptorum Mutinensium (stud. Ital. di filol. class. IV. (1896) 446 no. 93). Qui codex miscellaneus saec. XV. litteris est exaratus. Initio codicem Estensem possidebat Georgius Valla medicus Placentinus (1430—1499), qui Venetiis docebat. Quo mortuo eum sibi peperit Albertus Pius princeps Carpensis, qui artibus studiisque litterarum favebat. Postquam Rudolphus Alberti Pii filius fratris est mortuus, codex ille cum aliis undesexaginta libris manuscriptis in possessionem venit Ippoliti et Luigi d'Este, qui codices saeculo XVI. exeunte Ferrara Mutinam sunt translati. Cf. Heibergium in Philologo vol. XLII. (1884) 432. Maxima ex parte codex Estensis continet scholia Euripidea, Aristophanea, Homerica. Praeterea inveniuntur tractatus illi περὶ κωμῳδίας, quos Kaibelius numero VI. et litteris Pa et b signavit. Hos tractatus cum recenseret, codicem Estensem adhibuit Studemundius in anecdotis variis vol. I. (1886) p. 255 et in Philologo XLVI. (1888) p. 1 sqq. Praeterea conferas velim Allenium in „Notes upon greek mscr. in Ital. libraries" (Londinii 1890) p. 3 sqq. Aristophanea autem scholia codicis Estensis tractavit Zurettius in Analectis Aristophaneis (Augustae Taurinorum 1892), ubi p. 16 breviter omnia enumerat, quae continet liber manuscriptus.

Adhuc nulla ratio est habita extremae codicis partis (fol. 206[a] — 210[v]), quam a Valla ipso esse scriptam Immischius censet. Invenitur hoc loco initium scholiorum ad Theocritum conscriptorum, quibus praemissa sunt prolegomena ampliora quam quae adhuc innotuerunt. Sed non solum de Theocrito, verum omnino de poetis agitur hoc prooemio.[2] Nam poesis genera eorumque discrimina explicantur simili modo atque ab Ioanne Tzetza in prolegomenis ad Lycophronem compositis; quos tractatus alterum cum altero artissime cohaerere primo obtutu apparet.

Sed anecdoton Estense, quamquam eodem modo foede depravatum est atque ceteri tractatus a Byzantinis compositi, tamen minime neglegendum esse censeo, quia in anecdoto nonnulla inveniuntur, quae adhuc nondum erant nota. Quae cum ita sint, anecdoton Estense aliquid valet ad artis poeticae historiam investigandam.

In eis, quae secuntur, eum textum praebebo, quem maxima cum liberalitate mihi tradidit Immischius, qui tantummodo calami lapsus correxit. Reliqua autem, quae peccata sunt veluti in numeris, propterea non esse mutanda Immischius iudicat, quia in codice Estensi excerpta inveniuntur,[3] quae etiamsi argumentis comprobare sententiam suam non potest, a Valla ipso confecta esse non censet.

---

[1] cf. Immischium in comment. in honorem Th. Gomperzii p. 251.

[2] Hoc primo Theocriti carmine ad interpretandum proposito est recitandum. cf. anecd. Est. III, 5.

[3] Reputandum est singula capita initium facere a vocabulo ὅτι.

Tractatus est omnis divisus in partes tres, quarum una est de variis poetarum generibus, altera de poetis tragicis, comicis, satyricis, tertia de carminibus bucolicis et de Theocrito.

Anecdoton Estense.

I.

1. ὅτι οἱ κατ' ἐξοχὴν λεγόμενοι ποιηταὶ τέσσαρά τινα γνωρίσματα ἔχουσι· στίχον ἡρωικόν, μῦθον ἀλληγορικόν, ἱστορίαν παλαιὰν καὶ ποιὰν λέξιν. ἐγένοντο δὲ πέντε ὀνομαστοί· Πανύασις, Πείσανδρος, Ἀντίμαχος, Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος.

2. ὅτι τῶν λυρικῶν γνωρίσματα τάδε· ποικίλοις χρῆσθαι μέτροις, πρὸς λύραν ᾄδεσθαι τὰ τούτων μέλη. ὧν ὁ χορὸς συνέστη μὲν ἐκ πεντήκοντα ἀνδρῶν κυκλικῶς ἑστώτων, ᾀδόντων τὰ τούτων ποιήματα. ταῦτα δὲ ἦσαν ἔπαινοι τῶν νικησάντων ἐν ταῖς ἐπισήμοις ἑορταῖς. καὶ βοῦν δὲ ἐλάμβανον ἆθλον. ὅθεν τις ἐπισκώπτων κωμικὸς ταυροφάγους αὐτοὺς καλεῖ. — ὅτι οἱ διθυραμβικοὶ οἱ αὐτοί εἰσι τοῖς λυρικοῖς, πλὴν ἔχουσί τι καὶ πλέον· πρῶτον μέν, ὅτι πρὸς τῷ ταύρῳ καὶ τρίποδα ἐλάμβανον δῶρον. ἔπειτα καὶ τὰ[1]) ποιήματα αὐτῶν πρὸς τὸν Διόνυσον, ἀλλ' οὐ πρὸς τοὺς ἐν ταῖς ἑορταῖς νικῶντας ᾖδετο. οἳ καὶ τὰ ποιήματα αὐτῶν[2]) πολυστρόφως ἔπλεκον μιμούμενοι τοὺς βακχικοὺς τρόπους καὶ τὰς πολυστρόφους καμπὰς αὐτῶν. ἐκαλοῦντο δὲ διθυραμβοποιοὶ ἀπὸ τοῦ Διονύσου, ὃς διὰ δύο θυρῶν ἔβη, τῆς τε γαστρὸς τῆς Σεμέλης καὶ τοῦ μηροῦ τοῦ Διός. τὰ ἔπη δὲ αὐτῶν διθύραμβοι ἐκαλοῦντο, ὡς ὁ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ (cf. 241 e)[3]) · ὁρᾷς, ὅτι ἔπη φθέγγομαι καὶ οὐκέτι διθυράμβους. λυρικοὶ μὲν οὖν ἐπίσημοι δέκα, Στησίχορος, Πίνδαρος καὶ οἱ λοιποί, διθυραμβοποιοὶ δὲ Φιλόξενος ὁ Κυθήριος καὶ Ἀρίων ὁ Μηθυμναῖος.

3. ὅτι ἰαμβογράφων γνωρίσματα τὸ ἰαμβείοις χρῆσθαι πρὸς ὕβριν ἑτέρων, ἔστι δ' ὅτε καὶ ἑτέροις μέτροις. οἷος ἦν Ἀρχίλοχος καὶ Ἱππῶναξ, οὗ καὶ τὸ μέτρον ἐν τῇ ἕκτῃ χώρᾳ ἐπιδέχεται σπονδεῖον ἢ τροχαῖον, διὸ καὶ χωλὸν λέγεται. — ἰαμβογράφοι[4]) δὲ ἐλέγοντο ἢ ἀπὸ τοῦ ἰαμβείοις χρῆσθαι ἢ ἀπὸ[5]) τοῦ ἰοῦ τοῦ ἐκ τοῦ στόματος αὐτῶν ἐκπεμπομένου διὰ τῆς ὕβρεως· πικρότατα γὰρ ὕβριζον. φέρεται δὲ καὶ ἐπίγραμμα εἰς Ἱππώνακτα τοιόνδε (cf. Anth. Pal. VII, 536)

Οὐ βότρυν, ἀλλ' ἄχερδον ἐν τάφῳ φέρει
στύφοντι πικραίνοντα πικρίᾳ λόγων.
ἀλλά τις Ἱππώνακτος ἐλθὼν εἰς τάφον
τὸν ἄνδρα κνώσσειν εὐμαρῶς εὔχου κάτω.

4. ὅτι ἐλεγειογράφοι εἰσὶν οἱ πρὸς τοὺς τεθνηκότας οἴκτους γράφοντες καὶ ὀλοφύρσεις ἐν ἐλεγείῳ μέτρῳ, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐν ἄλλῳ. οἷος ἦν Καλλίμαχος καὶ Φιλητᾶς.

---

[1]) τὰ] τ corr. — inter αὐτῶν et πρός duae fere litterae deletae sunt a librario.
[2]) αὐτῶν.
[3]) οὐκ ᾔσθου, ὦ μακάριε, ότι ἤδη ἔπη φθέγγομαι, ἀλλ' οὐκέτι διθυράμβους Plato.
[4]) (ἰαμβογράφοι) — (κάτω) in margine prima manu.
[5]) ἀπὸ τοῦ τοῦ (τ corr.) τοῦ ἐκ τοῦ στόματος.

5. ὅτι *ἐπιγραμματογράφοι* εἰσὶν οἱ γράφοντες εἰς ἀνδριάντας καὶ εἰς ἀναθήματα καὶ εἰς ἕτερα ὅμοια ἐπιγράμματα ἐν ἡρωικῷ μέτρῳ καὶ ἐλεγείῳ. οἷος ἦν Σιμωνίδης [1]) ὁ νέος καὶ Παλλαδᾶς καὶ Ἀγαθίας, καὶ Ὅμηρος πάλαι, οὗ καὶ ἐπιγράμματα φέρεται.

εἰς [2]) τὸν Μίδου τάφον.

Χαλκῆ παρθένος εἰμί, Μίδα [3]) δ' ἐπὶ σήματι [4]) κεῖμαι.
μέχρις [5]) ἂν ὕδωρ τε νάῃ [6]) καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ,
αὐτοῦ τῇδε μένουσα πολυκλαύστου [7]) ἐπὶ τύμβου
ἀγγελέω [8]) παριοῦσι, Μίδας [9]) ὅτι τῇδε τέθαπται.

Φιάλην δὲ παρὰ τῶν υἱῶν τοῦ Μίδου δῶρον λαβὼν καὶ ἀναθεὶς τῷ Ἀπόλλωνι ἐπέγραψε·

Φοῖβε [10]) ἄναξ, δῶρόν τοι [11]) ἑλών γε Ὅμηρος ἔδωκα
ἧσιν [12]) ἐπιφροσύναις. σὺ δέ μοι κλέος ἐσθλὸν ὀπάζοις.

6. ὅτι *ὑμνογράφοι* εἰσὶν οἱ εἰς θεοὺς γράφοντες ὕμνους, ὥσπερ Ὀρφεὺς καὶ Ὅμηρος· Ὀρφεύς τε γὰρ ἄνευ τῶν ἀστρολογικῶν καὶ [13]) μαγικῶν καὶ ἐπῳδικῶν καὶ ἑτέρων ἔγραψε καὶ ὕμνους εἰς Δία καὶ τοὺς ἄλλους θεούς (cf. Orph. fr. 46 Ab.).

Ζεὺς πρῶτος ἐγένετο, Ζεὺς ὕστατος, ἀργικέραυνος,
Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέση. [14]) Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.

Καὶ Ὅμηρος δὲ πρὸς τοῖς ἄλλοις ὕμνους συνέθηκεν εἰς θεούς, ἀρχόμενος [15]) (hymn. I, 1).

---

1) corrigendum secundum Tzetzae prolegomena ad Lycophronem p. 258 M.: *Σιμωνίδης <ὁ παλαιός, οὗ Ἡρόδοτος μέμνηται, Ἀλκαῖος> ὁ νέος.*

2) (*εἰς*) — (*ὀπάζοις*): in margine prima manu. epigramma constat ex quattuor versibus sicuti apud Platonem Phaedr. 264 d, Dionem Chr. XXXVII, 465, Anthol. Pal. VII, 153 (duo versus inserti sunt post versum 2 certam. Homeri et Hesiodi p. 447 Rz. et ordine mutato apud Diogenem Laert. I, 89; quartus tantummodo versus certaminis Homeri et Hes. post versum 2 atque nonnullis in libris manuscriptis sine versu 1 invenitur apud Herodotum personatum *βίος Ὁμ.* p. 5 West.).

3) *Μίδα* sicut Plato (sed *Μίδᾳ* 𝔄), Dio, Anth.: *Μίδου* Diog., certamen: *Μίδεω* et *Μήδου* in libris manuscriptis Herod. person.

4) *σήματος ἧμαι* certamen.

5) *μέχρις*] *ὄφρ'* Plato et Libanius II, 220 Foerster, *ἔστ'* reliqui (Planud. solus *εὖτ'*).

6) *νάῃ* sicut Plato, certamen, Anth., Sextus 65, 4 Bekk., Lib. l. s. s.: *ῥέῃ* Dio, Diog., auctor *π. ὕψ.* 57, 1 Jahn-Vahl., Sextus 327,10 Bekk.: *ῥέοι* (et *τεθήλοι*) Her. pers.

7) *πολυκλαύστου ἐπὶ τύμβου* Plato Ξ et alii lib. manuscr.: *πολυκλαύτου ἐπὶ τύμβου* Plat. 𝔄 t et Herodotus personatus: *πολυκλαύτῳ ἐπὶ τύμβῳ* Dio, certamen, Diog., Anth.: *πολυκλαύστῳ ἐπὶ τύμβῳ* Planud.

8) *σημανέω* certamen.

9) *Μίδης* Her. pers. certamen.

10) (*Φοῖβε*) — (*ὀπάζοις*) etiam in certamine et apud Tzetzam in prolegg. ad Lycophron. p. 258 M.

11) *τοι Ὅμηρος καλὸν ἔδωκα* certamen: *τοι ἑλὼν* <*τόδ'* add. Barnesius> *Ὅμηρος ἔδωκεν* Tzetz.

12) *ἧσιν* Tzetzes: *σῇσιν* certamen.

13) (*καὶ μαγ.*) — (*ἑκάτοιο*) in margine prima manu.

14) *μέση* (pro *μέσσα*) varia lectio etiam apud Tzetzam prolegg. ad Lycophr. p. 259 M.

15) post. *ἀρχ.* fortasse *οὕτω* (dignosci non potest, quia margo est praecisa).

Μνήσομαι οὐδὲ λάθωμαι ⟨᾽Απόλλωνος[1]) ἑκάτοιο⟩.

7. *ὅτι ᾀσματογράφοι εἰσὶν οἱ ᾠδὰς συντιθέντες μουσικὰς πρὸς φόρμιγγα, βάρβιτον ἢ κιθάραν καὶ πᾶν ὄργανον μουσικὸν ᾀδόμενον, ἐν διαφόροις μέτροις. οἷος ἦν Δημόδοκος ὁ Φαίαξ καὶ Φήμιος ὁ Ἰθακήσιος καὶ οἱ[2]) λοιποί, οὓς ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος γράφει. οἱ δ' αὐτοὶ καὶ ἀοιδοὶ παρὰ τοὺς ἄλλους λέγονται.*

8. *ὅτι ἐπιθαλαμιογράφοι εἰσὶν οἱ εἰς τοὺς γάμους ἐγκώμια γράφοντες ἐν ἡρωικῷ μέτρῳ. οἷος ἦν Ἀγαμήστωρ καὶ Ἡσίοδος[3]) γράψας ἐπιθαλάμιον εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν* (fr. 81 (102) Rz.).

Τρὶς μάκαρ Αἰακίδη τε καὶ τετράκις, ὄλβιε Πηλεῦ,
ὃς τοῖσδ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰςαναβαίνεις.

9. *ὅτι μονῳδοί εἰσιν οἱ μονοπροσώπως γράφοντες ᾠδὰς μετὰ πλάσματός τινος, ἐπιταφίους ἢ καὶ διηγήσεις ἄλλας τινὰς διηγούμενοι. οἷος ἦν Λυκόφρων. παριστᾷ[4]) γὰρ ἐν τῇ Ἀλεξάνδρᾳ τὸν τοῦ Πριάμου θεράποντα μόνον πᾶσαν ὑπόθεσιν ἀφηγούμενον.*

10. *ὅτι ἐποποιοί εἰσιν οἱ χωρὶς πλάσματος ἐν ἡρωικῷ ἢ καὶ ἐλεγείῳ μέτρῳ διηγούμενοί τινα διήγησιν[5]) ἢ καὶ ἠθικὰς συντιθέντες γνώμας. οἷος ἦν Θέογνις καὶ Φωκυλίδης.*

II.

1. *ὅτι οἱ κωμικοὶ καὶ σατυρικοὶ καὶ τραγικοὶ ἑνὶ ὀνόματι τραγικοὶ τὸ πρῶτον ἐκαλοῦντο ἀπὸ τῆς τρυγός, ᾗ τὰ πρόσωπα χρίοντες ᾖδον[6]) ἢ ἀπὸ τοῦ τράγου, ὃν δῶρον ἐλάμβανον. ἢ τραχῳδία καὶ τραγῳδία, τοῦ χ̄ τραπέντος εἰς γ̄. τραχείας γὰρ ᾠδὰς τὸ πρῶτον[7]) ᾖδον ἐν τοῖς θρήνοις.*

2. *ὅτι τρόπῳ τῷδε εὑρέθη. ἄνδρες πένητες γεωργοὶ ἀδικούμενοι ἔκ τινων εὐγενῶν Ἀθηναίων καὶ φοβούμενοι[8]) φανερῶς κατηγορῆσαι αὐτῶν παρὰ τοὺς δικαστὰς νυκτὸς παρὰ τὰς κώμας καὶ τοὺς στενωποὺς κατεβόων ἐκείνων διηγούμενοι τὴν ἀδικίαν. ἡμέρας δὲ γενομένης ἐζήτησαν οἱ δικασταὶ εὑρεῖν τοὺς κατηγόρους. καὶ δὴ εὑρεθέντες φανερῶς μὲν οὐδ' οὕτω κατηγόρουν, τρυγὶ δὲ χρίσαντες τὰ πρόσωπα διὰ[9]) τὸ μὴ γνωρίζεσθαι διηγοῦντο τὴν ἀδικίαν. σωφρονισθέντων δὲ τῶν κακούργων ἐψηφίσατο ἡ τῶν Ἀθηναίων βουλὴ κατ' ἐνιαυτὸν τοῦτο ποιεῖν ἐν ἔαρι καὶ[10]) μάλιστα ἐν Διονυσίοις τοὺς ἀγροίκους συναγειρομένους καὶ μετά τινος εὐρυθμίας τὰς ἀδικίας καταλέγοντας. χρόνων δὲ προελθόντων σοφοὶ τοὺς ἀγροίκους διαδεξάμενοι σοφῶς ἅπαντα καὶ κοσμίως ἔπραττον.*

---

1) *Ἀπ. ἑκ.* (cf. p. 57 adn. 15).
2) (*καὶ οἱ*) — (*γράφει*) in margine prima manu.
3) (*καὶ Ἡσ.*) — (*εἰςαναβαίνεις*) in margine prima manu.
4) (*παριστᾷ*) — (*ἀφηγ.*) item.
5) ante *διήγησιν* a librario del. *διηγόν.*
6) *ἦδος.*
7) *τὸ πρῶτον* linea subnotatum.
8) ante *φοβ.* a librario del. *μη.*
9) *διὰ τὸ μὴ γνωρ.* supra versum.
10) *καὶ μάλ. ἐν Διον.* in margine prima manu ita, ut versus continuetur.

3. ὅτι ὕστερον ἡ ποίησις αὕτη διῃρέθη εἰς τρία, εἰς κωμῳδίαν, τραγῳδίαν καὶ σατυρικήν. ἀπὸ τοῦ τόπου, ἐν ᾧ ᾖδοντο,[1]) τῆς κώμης δηλαδή, τὸ ὄνομα ἔσχε ἢ[2]) ὅτι κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ κώματος ἤγουν τοῦ ὕπνου εὑρέθη. ἡ δὲ τραγῳδία ἀπὸ τοῦ τράγου τοῦ δώρου. ἡ δὲ σατυρικὴ ἀπὸ τῶν γεωργῶν τῶν εὑρόντων αὐτήν, σατύρων καλουμένων, ἢ ἀπὸ τῶν σατύρων τῶν τοῦ Διονύσου ὀπαδῶν, οἵ σάτυροι ἐκαλοῦντο ἀπὸ σεσηρέναι, ὅ ἐστι κεχηνέναι τὸ στόμα ὑπὸ γέλωτος.

4. ὅτι[3]) πάντες οὗτοι, τραγικοὶ κωμικοί τε καὶ σατυρικοί, πάντα μιμητικῶς ἔπραττον πρὸς τὴν θυμέλην. ἦν[4]) δὲ ἡ θυμέλη βῆμά τι ἢ καὶ βωμός. ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ[5]) δὲ ἵστατο, ἐν ᾗ καὶ ὁ χορὸς ἦν. σκηνὴ μὲν γὰρ ὑποκριτῶν τόπος, ἡ δ' ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ. θυμέλη δὲ λέγεται, ἐπειδὴ ἐν αὐτῇ τὰ θύη ἤγουν τὰ ἱερεῖα μεληδὸν ἔτεμνον. τράπεζα γάρ τις ἦν,[6]) περὶ ἣν τὸ παλαιὸν ἐφεστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ᾖδον, μήπω τῆς τραγῳδίας τάξιν λαβούσης. ἐλέγετο δὲ θυμέλη παρὰ τοῖς παλαιοῖς καὶ ἡ θυσία, ἐπεὶ καὶ ἐν ἐκείνῃ μεληδὸν τὰ θύη τέμνεται. οἱ δὲ καὶ εἶδός τι μουσικῆς θυμέλην καλοῦσι.

5. ὅτι κωμῳδίας ἴδιον τὸ ἔχειν κδ' χορευτὰς καὶ τετράγωνον χορὸν καὶ τὸ ὕβρεις τινὰς καὶ σκώμματα ἔχειν καὶ συνιστάναι[7]) τὸν βίον διὰ τῶν τοιούτων σκωμμάτων.[8]) — ὅτι[9]) τῆς κωμῳδίας ἡ μὲν ἦν πρώτη, ἥτις ἐμφανῶς πάντας ἔψεγε. κατῆρξε δὲ αὐτῆς Σουσαρίων. ἡ δὲ δευτέρα, ἧς ἦν μὲν ὁ ψόγος κατὰ πάντων, ἀλλὰ κεκρυμμένος. ἄριστοι δὲ ἐν αὐτῇ Κρατῖνος, Εὔπολις, Ἀριστοφάνης, Πλάτων. Τῆς δὲ τρίτης ὁ ψόγος καὶ κεκρυμμένος ἦν καὶ κατὰ δούλων μόνον καὶ ξένων, ἀλλ' οὐκέτι πολιτῶν. διέπρεψαν δὲ ἐν αὐτῇ Μένανδρος καὶ Φιλήμων.

6. ὅτι τραγῳδίας ἴδιον τὸ πεντεκαίδεκα ἔχειν χορευτὰς καὶ τὸ θρήνους λέγειν καὶ οἰμωγὰς καὶ διὰ τούτων καταλύειν τὸν βίον.[10]) — τραγικοὶ Σοφοκλῆς, Αἰσχύλος, Εὐριπίδης.

7. ὅτι καὶ σατύρων ἴδιον τὸ τοσούτους ἔχειν χορευτάς, ὅσους καὶ οἱ τραγικοί. καὶ τοῖς γέλωσι καὶ σκώμμασι συγκιρνᾶν καὶ ὀλοφύρσεις. Πρατίνας δὲ ἄριστος σατυρικός.

III.

1. ὅτι τῶν τὰ βουκολικὰ συγγραψάντων ἴδια τὸ Δωρίδι χρῆσθαι διαλέκτῳ, τὸ μιμεῖσθαι εἰς ἄκρον ἀγροίκων ὁμιλίας καὶ νομέων[11]), χαριέντως αὐτὰς ἐκφράζων. ἄρτον τε ἐξήρτηντο μορφὰς θηρίων ἐν ἑαυτῷ ἔχοντα καὶ πήραν πανσπερμίας ἀνάπλεων, καὶ οἶνον ἐν αἰγείῳ

---

1) post ᾖδοντο a librario lacuna est relicta.
2) (ἢ ὅτι) — (εὑρέθη) in margine prima manu.
3) (ὅτι πάντες) — (καλοῦσι) in margine prima manu.
4) ἦν δὲ ἡ.
5) ὀρχίστρα (item infra).
6) ἦν.
7) συνιστᾶναι.
8) post σκωμμ. aliquid del.
9) (ὅτι τῆς κωμ.) — (Φιλήμων) in margine prima manu.
10) post βίον spatium: verba inde a τραγικοί usque ad Εὐρ. incipiunt in eodem versu, (καὶ διὰ) — (τρα.) in margine prima manu.
11) ante νομέων del. ποιμένων.

ἀσκῷ[1]) φέροντες σπονδὴν ἔνεμον τοῖς ὑπαντῶσι. στέφανόν τε περιέκειντο καὶ κέρατα ἐλάφων προέκειτο αὐτοῖς. μετὰ χεῖράς τε εἶχον λαγωβόλον. ὁ δὲ νικήσας ἐλάμβανε τοῦ ἡττηθέντος τὸν ἄρτον. κἀκεῖνος μὲν ἐπὶ τῆς τῶν Συρακουσίων[2]) ἔμενε πόλεως, οἱ δὲ νενικημένοι εἰς τὰς περιοικιδίας ἐχώρουν, ἀγείροντες ἑαυτοῖς τὰς τροφάς. παρεῖχόν[3]) τε ἄλλα τε παιδιᾶς ἄξια καὶ δὴ καὶ τόδε προσέλεγον.

Δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν,
δέξαι τὰν ὑγίειαν,
ἂν[4]) φέρομεν παρὰ τῆς θεοῦ,
ἂν ἐκαλέσατο[5]) τήνα. —

ὅτι ὁ μὲν ἄρτος καὶ ὁ οἶνος καὶ ἡ σπονδὴ σημεῖα εἰρήνης ἦσαν. ἐπὶ εἰρήνῃ γάρ, ὡς ῥηθήσεται, εὕρηται τὰ βουκολικά. ἥ τε πανσπερμία[6]) τὴν ἀπὸ τῆς εἰρήνης ἐπίδοσιν ἐν ταῖς πόλεσι δηλοῖ. ὡςαύτως δὲ καὶ ὁ στέφανος νίκης τε ἅμα σύμβολον καὶ χαρᾶς. ἐνίκησαν[7]) γὰρ οἱ διαλλακταὶ[8]) διαλλάξαντες τοὺς ἐν ταῖς Συρακούσαις στασιάζοντας. ὧν δὴ διαλλακτῶν[9]) τόπον ἐπεῖχον οἱ τὰ βουκολικὰ ᾄδοντες. τὰ δὲ κέρατα, ἐπειδὴ τὸν Πᾶνα εἶχον οἱ νομεῖς θεόν. ὁ δὲ Πὰν κέρατα ἔχων παραδέδοται. τοὺς[10]) νομεῖς δὲ οἱ τὰ βουκολικὰ συνθέντες ἐμιμοῦντο, ὡς ἔφημεν. καὶ τῶν θηρίων δὲ αἱ μορφαὶ τοῦ Πανὸς ἕνεκεν λαμβάνονται, ἐπειδὴ ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ταῖς ἐρημίαις παραδίδοται διατρίβειν, τόποις θηριώδεσι, καὶ ἅμα καὶ αὐτὸς τὰ κάτω τραγώδη καὶ λάσια παραδίδοται ἔχειν. καὶ τὸ λαγωβόλον δὲ τοῦ αὐτοῦ ἕνεκεν. εἰκὸς γὰρ αὐτὸν καὶ κυνηγέτην εἶναι τοῖς ὄρεσιν ἐνδιατρίβοντα. καὶ μὴν καὶ ἡ πρόςρησις σημεῖον εἰρήνης ἦν. εὐδαίμονες μὲν γὰρ οἱ ἄνθρωποι ἐν εἰρήνῃ κακοδαίμονες δὲ γίνονται ἐν τῷ πολέμῳ.

2. ὅτι οἱ μέν φασιν εὑρεθῆναι ἐν Λακεδαίμονι τὰ βουκολικὰ πρῶτον, τῷ τρόπῳ τούτῳ. Τῶν Περσικῶν ἐνεστώτων ἔτι καὶ φόβῳ πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ταρασσόντων ἐνέστη τις[11]) ἑορτὴ Ἀρτέμιδος Καρυάτιδος.[12]) Τῶν οὖν παρθένων κεκρυμμένων διὰ τὴν ἐκ τοῦ πολέμου ταραχὴν ἀγροῖκοί τινες εἰςελθόντες ἰδίαις ᾠδαῖς τὴν Ἄρτεμιν ὕμνησαν, τῆς δὲ τούτων ξένης μούσης ἀρίστης[13]) γενομένης παρέμεινε τὸ ἔθος καὶ ἐφυλάχθη. — οἱ δέ φασιν ἐν Σικελίᾳ πρῶτον ἐξευρεθῆναι, τρόπῳ τοιῷδε. Ἐξενεχθέντος τῷ Ὀρέστῃ χρησμοῦ ἐν ἑπτὰ ποταμοῖς ἐκ μιᾶς πηγῆς ῥέουσιν ἀπολούσασθαι εἰς Ῥήγιον τῆς Ἰταλίας πορευθείς, φέρων καὶ τῆς Ἀρτέμιδος ξόανον μεθ' ἑαυτοῦ, ἐκεῖ ἐν τοῖς λεγομένοις δια-

1) ἄσκὸν (?).
2) συρρακουσίων.
3) ante παρεῖχον del. ἔδιδο.
4) ἃ Ahrensius τᾶς G. Hermannus.
5) ἐκαλέσατο etiam Callierg.: aliae lectiones ἐκαλέσσατο et ἐκαλέσαντο: ἃ 'κελήσατο Ahrensius.
6) supra πᾶνσπερμία (sic) signum σημείωσαι.
7) ἐνίκη||||σαν.
8) διαλακταὶ.
9) διαλακτῶν |||| τόπον.
10) ante τοὺς del. τῶ.
11) τις incertum, in corr.
12) καρυάτιδος (ου supra α prius).
13) ἀρεστῆς Reiskeus et Hemsterhuisius.

χωρίοις[1]) ἐλούσατο ποταμοῖς. ἔπειτα τὸ ξόανον λαβὼν εἰς Τυνδαρίδα τῆς Σικελίας ἀφίκετο. οἱ δὲ ἐπιχώριοι τὴν θεὰν ἰδίοις ποιήμασι καθυμνήσαντες ἔθει τὴν πρώτην παρέδοσαν εὕρεσιν. — ἀληθέστερον δέ φασιν οἱ λέγοντες ἐν Σικελίᾳ μὲν εὑρεθῆναι, τρόπῳ γε μὴν τοιῷδε. στάσεώς ποτε ἐν Συρακούσαις γενομένης καὶ πολλῶν πολιτῶν διαφθαρέντων μόλις τέ ποτε εἰς ὁμόνοιαν συνελθόντων ἔδοξεν ἡ Ἄρτεμις αἰτία τῆς διαλλαγῆς γεγονέναι. τῶν οὖν ἀγροίκων δῶρα κομισάντων ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς καὶ τὴν θεὰν ἀνυμνησάντων ταῖς ἀγροίκοις ἐκείνων ᾠδαῖς τόπον ὕστερον ἔδωκαν καὶ συνήθειαν.

3. ὅτι Θεόκριτος ὁ τῶν τὰ βουκολικὰ συγγραψάντων ἄριστος Συρακούσιος ὢν τὸ γένος πατέρα ἔσχε Πραξαγόραν, μητέρα δὲ Φιλίναν.[2]) Τὸ γὰρ Σιμιχίδα[3]) οὐ τοῦ πατρὸς ὄνομα, ἀλλ' αὐτοῦ φασιν ἐπώνυμον εἶναι· ἦν γὰρ τὴν ῥῖνα σιμός. ἐγένετο δὲ ἀκουστὴς Φιλητᾶ καὶ Ἀσκληπιάδου, ὧν καὶ μνημονεύει. ἤκμασε δὲ ἐν τοῖς χρόνοις Πτολεμαίου τοῦ ἐπικληθέντος Λαγωοῦ.[4]) περὶ δὲ τὴν τῶν βουκολικῶν ποίησιν εὐφυὴς γενόμενος πολλῆς δόξης ἐπέτυχε. κατὰ γοῦν τινας Μόσχος τὸ πρὶν καλούμενος Θεόκριτος ὠνομάσθη. οἱ δὲ ἐν τοῖς χρόνοις Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου φασὶν ἀκμάσαι, ὃς δὴ παῖς ἦν Πτολεμαίου τοῦ Λαγωοῦ καὶ Βερενίκης τῆς Ἀντιγόνου θυγατρός. ἑπτὰ δέ φασιν ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις ἀκμάσαι ποιητὰς ἀρίστους, οὓς πλειάδα ἐκάλουν διὰ τὸ ἑπτὰ εἶναι. ὧν τὰ ὀνόματά εἰσι ταῦτα· Θεόκριτος οὗτος, Ἄρατος ὁ τὰ Φαινόμενα γράψας καὶ ἕτερα, Νίκανδρος[5]) Αἰαντίδης ὁ τὰ Θηριακὰ συγγραψάμενος (οἱ δὲ ἀντὶ τούτου Ἀπολλώνιόν φασι τὸν τὰ Ἀργοναυτικὰ συγγράψαντα), Φίλικος, Ὅμηρος ὁ νέος, τραγικός (ἔστι γὰρ καὶ ἕτερος Ὅμηρος, οὗπερ τὸν Ἡσίοδον ἰσόχρονον τίθενται, ἀλλ'[6]) οὐ τὸν παλαιὸν Ὅμηρον, ἀλλ' ἕτερον μετ' ἐκεῖνον), Ἀνδρομάχης[7]) Βυζάντιος, ὃς δράματα συνέθηκεν ζ', καὶ Λυκόφρων ὁ τὴν Ἀλεξάνδραν συγγράψας. —

ὅτι[8]) καὶ ἐπίγραμμα φέρεται εἰς Θεόκριτον τόδε·

Ἄλλος ὁ Χῖος. ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδ' ἔγραψα,
εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμι Συρακοσίων,
υἱὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς[9]) τε Φιλίνης,
μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔτιν' ἐφελκυσάμην.

4. ὅτι ἡ βουκολικὴ ποίησις, καίπερ οὐ μόνον[10]) βουκολικά, ἀλλὰ καὶ αἰπολικὰ καὶ ποιμενικὰ περιέχουσα καὶ μικτὰ ὅμως ἀπὸ τῶν βοῶν ἐπικρατεστέρων ὄντων ἔσχηκεν[11]) τὴν ἐπιγραφὴν βουκολικὰ κληθεῖσα.[12])

---

1) διαχώροις vulg., aliae var. lect. διαφόροις (recept. ab Ahrensio) et διὰ χώρας.
2) φιλίναν: prius ν in corr.
3) σιμιχίδα primum ι ex υ corr.
4) Λάγου Dind. Ahr. (cf. infra).
5) corrigendum secundum Tzetzae prolegg. ad Lycophr. p. 263 M.: Νίκανδρος ὁ τὰ Θηριακὰ συγγραψάμενος, Αἰαντίδης.
6) In margine litteris diversis βερενίκη νίκανδρος αἰαντίδης ὅμηρος. Nec vero necesse est ab alia manu haec esse scripta.
7) ἀνδρομάχης in margine repet.
8) (ὅτι καὶ) — (ἐφελκυσάμην) in margine prima manu.
9) περικλειτῆς habet ει in corr.
10) post μόνον del. αἰπολικ.
11) ἔσχηκεν corr. ex ἐσχήκασι.
12) post κληθεῖσα del. βουκολος.

— ὅτι βουκόλος,[1]) ὅθεν καὶ βουκολικά, λέγεται[2]) ὁ τῶν βοῶν νομεὺς ὡς μέν τινες, κακῶς[3]) τὸ ἔτυμον λέγοντες, παρὰ τὸ βοῦς καὶ τὸ κονεῖν[4]) τὸ ἐνεργεῖν καὶ διατρίβειν. κονεῖ γὰρ ἢ ἐνεργεῖ τι περὶ τὰς βοῦς ὁ βουκόλος. ὡς δ' ἕτεροι κάλλιον παρὰ τὸ κέλεσθαι ἤγουν προστάσσειν τοῖς βουσὶν ἢ τὸ κέλλειν[5]) ἢ[6]) τρέχειν σὺν τοῖς βουσί, βούκελος καὶ βουκόλος. βραχύτερά τε γὰρ τὰ ὀνόματα τῶν ῥημάτων γίγνονται ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἀφ' ὧν παράγεται, καὶ διὰ τοῦτο θάτερον τῶν λλ ἀπέβαλε, καὶ ἅμα τὰ ἔχοντα τὸ ε ἐγκείμενον ἐν τοῖς ῥήμασιν ἔχουσι τὸ ο ἀντιπαρακείμενον ἐν τοῖς ὀνόμασιν. ὅτι δὲ καὶ κέλλω τὸ τρέχω λέγεται, ὅ τε κέλης[7]) ὁ δρομαῖος ἱππεὺς δηλοῖ καὶ τὸ νωχελές, ἀπὸ τοῦ νω στερητικοῦ καὶ τοῦ κέλλω[8]) συγκείμενον, τροπῇ τοῦ κ εἰς χ. ἄριστα δὲ ὁ Δίδυμος εἴρηκεν ἀπὸ τοῦ βοῦς καὶ τοῦ κομέω[9]) ~ κομῶ τὸ ἐπιμελοῦμαι παράγεσθαι, βουκόμος καὶ βουκόλος, ὥσπερ καὶ ἱπποκόμος. εἰ δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ κορέω ~ κορῶ παράξεις, οὐδὲν ἀπεικότως ἐρεῖς βουκόρον λέγων καὶ βουκόλον. ἐν ἑκατέρᾳ γὰρ παραγωγῇ ἀμετάβολον εἰς ἀμετάβολον τρέπεται, οὐκ ἀπᾷδον[10]) ὄν.

5. ὅτι καὶ ἐπίγραμμα Ἀρτεμιδώρου γραμματικοῦ φέρεται τόδε ἐπὶ τῇ ἀθροίσει τῶν βουκολικῶν ποιημάτων·

Βωκολικαὶ[11]) Μοῖσαι σποράδες[12]) πόκα, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλης.[13]) —

ὅτι ἐκ τοῦ προειρημένου ἐπιγράμματος Ἀρτεμιδώρου στοχάσαιτ' ἄν τις, [ὅτι] διεσπαρμένα ὄντα τὰ βουκολικὰ εἰδύλλια πρότερον αὐτὸν τὸν Ἀρτεμίδωρον συνάξαι καὶ οὕτω συνθεῖναί τε καὶ κατατάξαι. ὃ δὴ καὶ Ἀρίσταρχον ἐν τοῖς Ὁμήρου πεποιηκέναι λέγεται. προτέθεικε δὲ ὁ συντάξας αὐτὰ τὸ παρὸν εἰδύλλιον πρῶτον διὰ τὸ χαριέστερόν τε ὁμοῦ καὶ τεχνικώτερον εἶναι, ἑπόμενος τῷ Πινδάρῳ εἰπόντι (Ol. VI, 3)· Ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεναι τηλαυγές. Καίτοι γε, ὅσον κατὰ τὴν ὑπόθεσιν, οὐ πρῶτον, ἀλλὰ περί που τὰ μέσα τεθῆναι ἔδει. Δάφνιν γάρ, ὃς ἐνταῦθα τεθνηκὼς παρεισάγεται, ἐν τοῖς ἑξῆς εἰδυλλίοις ζῶντα παρεισάγει.

6. ὅτι πάσης ποιήσεως τρεῖς ἐχούσης χαρακτῆρας, διηγηματικόν, δραματικὸν καὶ μικτὸν τὸ βουκολικὸν ποίημα μῖγμά ἐστι[14]) παντὸς εἴδους, ὥσπερ συγκεκραμένον τῇ ποικιλίᾳ. διὸ καὶ χαριέστερόν ἐστι τῇ ποικιλίᾳ τῆς κράσεως. ποτὲ μὲν γὰρ διηγηματικόν ἐστι, ποτὲ δὲ δραματικόν,

---

[1]) post *βουκόλος* del. *δέ*.
[2]) ante *λέγεται* aliquid del.
[3]) in margine: *ὅθεν βουκολικά*. — post *κακῶς* aliquid del.
[4]) *κονεῖν* correxi, *ῥονεῖν* cod. (et statim *ῥονεῖ*).
[5]) supra alteram syllabam vocis *κέλλειν* signum aliquod, quod explicari non potest.
[6]) *ἡ* (sic) in corr.
[7]) in margine *τεκέλης*.
[8]) *κέλω*.
[9]) *κομεῶ*.
[10]) *ἀπάδον* (sic) habet *π* in corr.
[11]) *βουκολικαὶ* Ahrensius.
[12]) post *σποράδες* del. *πασ ποκα πᾶσαι*.
[13]) *ἀγέλας* Ahrensius.
[14]) *μίγμα ἐστὶ* (sic) corr. ex *μίγμα ἔχει*.

ποτὲ δὲ μικτόν. ἔστι δὲ δραματικὸν μὲν τὸ μηδαμῇ γε ἐμφαῖνον τὸ πρόσωπον τοῦ ποιητοῦ, διηγηματικὸν δὲ τὸ διόλου ἐμφαῖνον, μικτὸν δὲ τὸ πῇ μὲν ἐμφαῖνον, πῇ δὲ οὔ. ἐν πᾶσι δὲ ὅσον οἷόν τε τὰ τῶν ἀγροίκων ἤθη ἐκμάσσεται τερπνῶς πάνυ τοὺς τῇ ἀγροικίᾳ σκυθρωποὺς λόγους χαρακτηρίζουσα. ὅθεν ἐκπέφευγε τὸ ἄγαν ἁδρὸν καὶ ὑπέρογκον τῆς ποιήσεως. τριῶν γὰρ ὄντων τῶν χαρακτήρων τοῦ λόγου, ἃ δὴ καὶ πλάσματα καλοῦσιν, ἁδροῦ, μέσου καὶ ἰσχνοῦ, καὶ ἁδροῦ μὲν ὄντος, ὃ καὶ τῇ τῶν λόγων καὶ τῇ τῶν νοημάτων κατασκευῇ μεγάλας ἐμφάσεις ἔχει, ἰσχνοῦ δέ, ὃ καὶ τῇ ὕλῃ τῶν πραγμάτων καὶ τῇ λέξει τυγχάνει ὂν ταπεινόν, μέσου δέ, ὃ καὶ ἑκατέρου μετέχει, τοῦ μὲν ἰσχνότερον, τοῦ δὲ ἁδρότερον — καὶ τοῦ μὲν ἁδροῦ παράδειγμα Θουκυδίδης, τοῦ δὲ ἰσχνοῦ Λυσίας, τοῦ δὲ μέσου Δημοσθένης —, τὸ βουκολικὸν ποίημα τὰ δύο ἐκφυγὸν[1] *τὸ ἰσχνὸν ἀσπάζεται. ἐννοίαις τε γὰρ ἀνάγκη χρῆσθαι προσηκούσαις ἀγροίκοις, ταύτας δὲ εὐτελεστάτας εἶναι ἀνάγκη. λέξεις τε ταῖς ἐννοίαις οὐκ ἀπᾳδούσας ἀνάγκη εἶναι· ἄλλως γὰρ ἀσύμφωνος αὐτὸς ἑαυτῷ ἔσται ὁ λόγος. συμπλέκει δὲ ὅμως αὐτῷ τὸ ἀνθηρὸν τῶν λόγων εἶδος, ὃ δὴ χάριν ὁμοῦ καὶ κάλλος ἔχον τέρπει καὶ ἥδει ὥςπερ ἄνθος τοὺς ἀκροατάς.*

7. *ὅτι Δωρίδι διαλέκτῳ χρῆται οὐ μόνον, διότι Συρακούσιος ἦν, οἳ Δωριεῖς ἦσαν, οὐδ' ὅτι διὰ ταύτης μᾶλλον μιμεῖται τὰς τῶν ἀγροίκων φωνάς (χρῆται γὰρ αὕτη τῷ α καὶ τῷ ω-μέγα τὰ πολλά, ἃ δὴ παχεῖαν ἀπεργάζεται τὴν φωνὴν ἅτε προφερόμενα τοῦ στόματος ὅτι μάλιστα ἠνεῳγμένου, τοιαύτη δὲ καὶ ἡ τῶν ἀγροίκων φωνή), ἀλλ' ὅτι καὶ ᾗ ἂν ἄλλῃ παρὰ ταύτην καὶ τὴν Αἰολίδα ἐχρήσατο, ἢ λέξεσιν*[2] *ὑψηλαῖς ἂν ἐχρήσατο ταῖς ἐννοίαις οὐ προςηκούσαις, ὅπερ τῶν ἀτόπων ἐστίν, ἢ πάντῃ ἀφελέστατον ἂν ἐπεποιήκει τὸν λόγον καὶ ἀγροῖκον αὐτόχρημα. ἡ δὲ Δωρὶς διάλεκτος τῷ μὴ κατημαξευμένας ἔχειν τὰς λέξεις ὁμοῦ τε μιμεῖται εἰς ἄκρον ἐννοίαις χρωμένη χθαμαλαῖς καὶ ἡδονὴν οὐκ ὀλίγην καὶ τέρψιν ἀγροικίας ὁμοῦ καὶ ποιητικῆς ἐμμελείας μεστὴν παρέχει τοῖς ἀκροαταῖς. χρῆται δ' ἔσθ' ὅτε καὶ Αἰολίδι, σπανίως γε μὴν διὰ τὸ Δωριέα εἶναι, οὐκ Αἰολέα. Καὶ Ἰάδι χρῆται, καὶ ταύτῃ σπανίως, ἐπειδὰν ἀνεγεῖραι βούληται τὸν νοῦν τῶν ἀκροατῶν. διπλῆς δὲ οὔσης καὶ τῆς Δωρίδος, καὶ τῆς μὲν παλαιοτέρας οὔσης καὶ τραχείας ὁμοῦ καὶ δυσνοήτου, ᾗ ἐχρήσατο Σώφρων καὶ Ἐπίχαρμος, θατέρας δὲ εὐκολωτέρας καὶ μαλθακωτέρας, ἀνειμένης τε καὶ χθαμαλῆς μᾶλλον, αὐτὸς τὴν προτέραν ὡς δυσχερεστέραν καταλιπὼν τὴν δευτέραν*[3] *ἀσπάζεται.*

8. *ὅτι εἰδύλλια, ἀλλ' οὐ διαλόγους καλοῦσι*[4] *τὰ βουκολικὰ ποιήματα. καίτοι διαλέγεται ἐνταῦθα πρόσωπα, ὥςπερ κἀν τοῖς Λουκιανοῦ διαλόγοις. ἐπειδὴ γὰρ διάλογος ὄνομα οὐκ ἂν ἥρμοζε πᾶσι τοῖς εἰδυλλίοις. πολλὰ γὰρ αὐτῶν οὐκ εἰσὶ διαλογικά. ἦν ἂν οὖν ἀπρεπὲς οὐχ ἑνὶ γενικῷ ὀνόματι, ἀλλὰ πλείοσι διαφόροις ἐπιγράψαι τὰ οἰκεῖα*

---

[1]) *ἐκφυγών.*
[2]) *ἠλσέεσιν* (quod excipit *ὑψηλαῖς* compendiose scr. in marg.), *ἢ λέξεσιν* Marxius.
[3]) post *δευτέραν* del. *ἁρμο.*
[4]) *καλοῦνται.*

ποιήματα. διὰ τοῦτο εἰδύλλια ὑπερεγράφησαν[1]) οἱονεὶ μικρὰ εἴδη. εἴδη γὰρ λόγου καὶ τὸ διηγηματικὸν καὶ τὸ δραματικόν,[2]) ἐξ ὧν σύγκειται τὸ βουκολικὸν ποίημα. καὶ ἅμα ἀπὸ τοῦ εἴδω τὸ ὁμοιῶ εἰδύλλια ἂν εἰκότως λέγοιτο. ἐοικότες γάρ εἰσι τοῖς προσώποις οἱ λόγοι τοῦ βουκολικοῦ ποιήματος. οἱ δὲ ἠδύλλιον ἀπὸ τοῦ ἥδω τὸ εὐφραίνω, ἀλλ' οὐκ εἰδύλλιον ἀπὸ τοῦ εἶδος λέγοντες παντελῶς εἰσιν ἀμαθεῖς.

Ut ad anecdoton Estense ipsum interpretandum accedamus, quaerimus, qua ratione cohaereat cum reliquis poeseos tractatibus. Ac primum quidem dicendum est anecdoton Estense ei παραδόσεως parti esse assignandum, cuius ne Kaibelius quidem l. s. s. mea sententia satis habuit rationem. Ex eodem enim fonte hausit is, qui anecdoton Estense compilavit, et Tzetzes in prolegomenis ad Lycophronem conscriptis iambisque περὶ διαφορᾶς ποιητῶν et in prolegomenis ad Hesiodum.[3]) Hoc Tzetzae opus in usum suum convertit Palaeocappa, qui tractatum illum περὶ τάξεως ποιητῶν a se ipso conflatum Andronico falso attribuit.[4]) Praeterea hoc loco commemorandus est Constantinus Lascaris, qui scripsit de poeta. cf. Migneum Patrologia Graeca vol. 161 (Bessarion) 951—954, Pasinium codd. Graec. Taurin. catalog. p. 374 sq. cod. Taur. 261 s. XV/XVI fol. 111/112,[5]) quos locos debeo Immischio.

Sed videamus, quibus ex fontibus Lascaris doctrinam suam hauserit. Quod cognoscere minime difficile est, quia ille magna ex parte auctores suos nominat. Sed totam rem mea quidem sententia ita instituit, ut, quae apud scriptores veteres de poetis legerat, in eum congereret tractatum, quem inscripsit περὶ ποιητοῦ. Qua in re Lascaris aliorum sententias quodammodo conflavit. Initium enim facit a verbis clarissimis, quae scripta inveniuntur apud Strabonem I c. 1 § 10 (p. 11 Kramer.): συγγνοίη δ' ἄν, καὶ εἰ μυθώδη τινὰ προσπέπλεκται τοῖς λεγομένοις ἱστορικῶς καὶ διδασκαλικῶς, καὶ οὐ δεῖ μέμφεσθαι. οὐδὲ γὰρ ἀληθές ἐστιν, ὅ φησιν Ἐρατοσθένης, ὅτι ποιητὴς πᾶς στοχάζεται ψυχαγωγίας, οὐ διδασκαλίας *χάριν* · τἀναντία γὰρ οἱ φρονιμώτατοι τῶν περὶ ποιητικῆς τι φθεγξαμένων πρώτην τινὰ λέγουσι φιλοσοφίαν τὴν ποιητικήν. ἀλλὰ πρὸς Ἐρατοσθένη μὲν αὖθις ἐροῦμεν διὰ πλειόνων, ἐν οἷς καὶ περὶ τοῦ ποιητοῦ πάλιν ἔσται λόγος. Conferas velim ea, quae exhibet Lascaris apud Migneum l. s. s. 951: Ἐπειδὴ ὁ λόγος περὶ ποιητοῦ[6]) καὶ τῶν πρώτων τυγχάνει, λεκτέον ἂν εἴη ὀλίγ' ἄττα περὶ αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος δι' ὠφέλειαν τῶν ἀκροατῶν. Ἔστι τοίνυν ποιητὴς κατὰ παλαιοὺς πρῶτος φιλόσοφος, καὶ ἡ ποιητικὴ πρώτη φιλοσοφία εἰσάγουσα εἰς τὸν βίον ἡμᾶς ἐκ νέων καὶ διδάσκουσα ἤθη καὶ πάθη καὶ πράξεις μεθ' ἡδονῆς, οὐ χάριν ψυχαγωγίας μόνον γινομένη κατὰ Ἐρατοσθένην, ἀλλὰ διδασκαλίας μετὰ ψυχαγωγίας. Afferenda autem

[1]) ὑπεργράφησαν.
[2]) post δραματικόν aliquid del.
[3]) ed. Gaisfordius Poet. Min. Gr. II, 3 sqq.
[4]) cf. Cohnium in comment. philologis in honorem M. Hertzii p. 130—133.
[5]) Phavorinus in lexico suo s. v. ποιητής ad verbum exscripsit Tzetzae prolegomena ad Lycophronem composita.
[6]) Fortasse Strabonis verbis adductus Lascaris tractatum suum inscripsit περὶ ποιητοῦ.

sunt ea verba, quae scripta videmus apud Strabonem lib. I c. 2 § 3 (p. 24 Kr.): *ποιητὴν γὰρ ἔφη πάντα στοχάζεσθαι ψυχαγωγίας, οὐ διδασκαλίας, τοὐναντίον δ' οἱ παλαιοὶ φιλοσοφίαν τινὰ λέγουσι πρώτην τὴν ποιητικήν, εἰσάγουσαν εἰς τὸν βίον ἡμᾶς ἐκ νέων καὶ διδάσκουσαν ἤθη καὶ πάθη καὶ πράξεις μεθ' ἡδονῆς · οἱ δ' ἡμέτεροι καὶ μόνον ποιητὴν ἔφασαν εἶναι τὸν σοφόν.*[1]) Haec quoque Lascaris verba: *ἡ ποιητής ἐστι κατὰ Στράβωνα ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ μόνος σοφός, καὶ οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν γενέσθαι ποιητὴν μὴ πρότερον γεγονότα ἄνδρα ἀγαθόν* plane congruunt cum eis, quae praebet Strabo I p. 17 C.: *καὶ οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν γενέσθαι ποιητὴν μὴ πρότερον γενηθέντα ἄνδρα ἀγαθόν.* In eis, quae secuntur, Lascaris scribit: *ἔτι ποιητής ἐστι καὶ δημιουργὸς συνθέσεως πρώτης μετρικῆς · καὶ ποιητική ἐστι πρώτη κατασκευὴ καὶ ἀρχὴ καὶ πηγὴ φράσεως καὶ ῥητορικῆς.* Quae verba sumpsit ex Strabone I p. 18 C.: *πηγὴ καὶ ἀρχὴ φράσεως κατεσκευασμένης καὶ ῥητορικῆς ὑπῆρξεν ἡ ποιητική.*

Deinceps ad Plutarchum progreditur Lascaris, qui verba illa notissima exhibet: *ἡ ποιητική ἐστι κατὰ Πλούταρχον μιμητικὴ τέχνη καὶ δύναμις ἀντίστροφος τῇ ζωγραφίᾳ. Ὅθεν καὶ τὸ λεγόμενον ζωγραφίαν μὲν εἶναι ποίησιν φθεγγομένην, τὴν ποίησιν δὲ σιγῶσαν ζωγραφίαν.* Quae verba inveniuntur apud Plutarchum de audiendis poetis c. 3 p. 17 F.

In eis autem, quae secuntur, Lascaris Diogenis Laertii prooemium adhibuit. *Ἀρχηγέται* enim poeseos ab eo enumerantur: *Πρῶτος δὲ τῶν Ἑλλήνων ποιητὴς καὶ σοφὸς Μουσαῖος Ἐλευσίνιος ἐγένετο παρὰ τῶν Φοινίκων διδαχθείς, θεογονίαν καὶ σφαῖραν ποιήσας.* De Musaeo autem Diogenes Laertius haec praebet prooem. 3.: *Ἰδοὺ γοῦν παρὰ μὲν Ἀθηναίοις γέγονε Μουσαῖος, παρὰ δὲ Θηβαίοις Λίνος. καὶ τὸν μὲν Εὐμόλπου παῖδά φασι, ποιῆσαι δὲ θεογονίαν καὶ σφαῖραν πρῶτον.* De Lino Lascaris hoc modo iudicat: *δεύτερος Λίνος Θηβαῖος, κοσμογονίαν, ἡλίου καὶ σελήνης πορείαν, καὶ ζῴων καὶ καρπῶν γεννήσεις ἐκδούς,* Diogenes l. s. s. 4: *τὸν δὲ Λίνον παῖδα εἶναι Ἑρμοῦ καὶ Μούσης Οὐρανίας · ποιῆσαι δὲ κοσμογονίαν, ἡλίου καὶ σελήνης πορείαν καὶ καρπῶν γενέσεις.* Sed admodum breviter Lascaris de Orpheo agit: *Τρίτος Ὀρφεὺς Θρᾷξ, μαθητὴς Λίνου, πάμπολλα ποιήσας καὶ πολλοὺς σοφίσας.* Diogenes autem l. s. s. 5 dubitat, sitne Orpheus in philosophorum numero ponendus. Deinceps Lascaris comparationem adhibet: *Εἶτα οἱ μετ' αὐτοὺς λύσαντες τὸ μέτρον ἐποιήσαντο τὸν πεζὸν λόγον, καταπεσόντα ἀπὸ τοῦ ὕψους τῆς ποιητικῆς ὥσπερ ἀπὸ ἵππου,* quacum conferenda sunt ea, quae scripta legimus apud Plutarchum de Pythiae oraculis 406 E: *οὕτω τοῦ λόγου συμμεταβάλλοντος ἅμα καὶ συναπολυομένου, κατέβη μὲν ἀπὸ τῶν μέτρων ὥσπερ ὀχημάτων ἡ ἱστορία.*

Inde a verbis: *τοῦτο δὲ τὸ τοῦ ποιητοῦ ὄνομα γενικὸν ὂν περιέχει ὑφ' αὑτῷ εἴδη πολλά* magna ex parte cum Tzetzae ad Lycophronem prolegomenis consentit. Confer Muellerum p. 248 sq.: *Τὸ ποιητὴς γὰρ ἀπροσδιορίστως λεγόμενον γενικόν ἐστιν ὄνομα καὶ*

[1]) Simili ratione iudicat Plato Lysis 213 E.: *ᾗ δὲ ἐτράπημεν, δοκεῖ μοι χρῆναι ἰέναι, σκοποῦντα κατὰ τοὺς ποιητάς · οὗτοι γὰρ ἡμῖν ὥσπερ πατέρες τῆς σοφίας εἰσὶ καὶ ἡγεμόνες.*

ὁμώνυμον, εἰς εἴδη διαιρούμενον πλείονα. Atque etiam nonnulla poetarum genera enumerat, quae ordine et numero non prorsus cum Tzetzae verbis consentiunt. Sed haec sunt minoris momenti. Poterat enim Lascaris suo arbitrio singula genera afferre.[1]) Atque in eis, quae secuntur, nonnullis locis consentit cum scholiis ad Dionysium Thracem conscriptis. Veluti apud Lascarem scriptum legimus: *Πᾶς δὲ ὁ μὴ χρώμενος τούτοις οὐκ ἔστι ποιητής* et in scholiis Londin. ad Dionysium Thracem p. 449, 5 H.: *καὶ πᾶν ποίημα μὴ μετέχον τούτων οὐκ ἔστι ποίημα, εἰ καὶ μέτρῳ κέχρηται.* Eodem autem mihi videntur spectare haec Tzetzae verba l. s. s. p. 250: *ὧν χωρὶς ἐποποιοὶ λέγονται.* Praeterea minime est neglegendum proprietatibus poetarum perfectorum enumeratis apud Lascarem dicendi genera tractari. Eandem fere dispositionem praebent scholia Lond. l. s. s. p. 449 Hilg. Sed quo ex fonte Lascaris eam tractatus partem, quae est de dicendi generibus, hauserit, infra demonstrabimus. Quae cum ita sint, equidem iudico Lascarem non solum ex Tzetzae scriptis, verum etiam ex aliis fontibus pendere. Itaque verisimile est hunc tractatum simili ratione esse conflatum atque Andronici personati commentariolum *περὶ τάξεως ποιητῶν.*[2])

Quibus expositis ad anecdoton Estense redeamus. In universum autem hoc est commemorandum in tractatu illo excerptoris vestigia ubique inveniri, id quod supra demonstravimus. Sed quaeritur, quae ratio inter Tzetzae scripta et anecdoton Estense intercedat. Qua in re hoc loco commemoro mea quidem sententia eum, qui anecdoton illud conscripsit, non hausisse ex Tzetzae scriptis, sed utrumque suo arbitrio ex communi fonte. Nam nonnullis locis ita inter se differunt, ut fieri nequeat, ut alter alterum exscripserit. Sed de eiusmodi rebus infra erit uberius agendum.

Quod Tzetzes minime eundem ordinem et numerum singulorum generum poetarum praebet, non est premendum. Nam in prolegomenis ad Hesiodum ipse dicit p. 12, 13 G.: *περὶ μὲν τῆς τῶν ποιητῶν διαιρέσεως, καὶ πρῴην μοι ἐπεξείργασται μικρὸν συγγραμμάτιον αὐτοσχεδίοις συντιθέμενον ἰάμβοις, καὶ τῷ ἐμῷ δὲ ἀδελφῷ ἐκπεπόνηται λίαν κάλλιστα καὶ φιλοτιμότατα περὶ τούτου ἐν τῇ τοῦ Λυκόφρονος ἐξηγήσει· ὅμως καὶ πάλιν τὰ καιριώτερα τούτων ἀναληπτέον, καὶ διὰ βραχέων λεκτέον μοι.* Qua de causa minime miror, quod apud Tzetzam[3]) eis poetis, quos hisce temporibus lyricos vocamus, inserti sunt tragici, comici, satyrici. Sed meliorem dispositionem sequitur is, qui anecdoton Estense compilavit; nam post poetas lyricas de dramaticis poetis iudicium profert.

Iam ad singula poeseos genera transeamus. Primo enim loco in anecdoto commemorantur *οἱ κατ' ἐξοχὴν λεγόμενοι ποιηταί,* quorum quattuor proprietates eis respondent, quae in scholiis Londin. ad Dionys. Thrac. p. 449 H. attribuuntur omnino poetis. Cum igitur poetae epici

---

[1]) In codice Taurin., qui Lascaris continet tractatum, scriptum exstat *διθύραμβον.* Sed apparere censeo hoc esse mutandum in *διθυραμβικόν.*

[2]) cf. Cohnium l. s. s. p. 132.

[3]) cf. Muellerum l. s. s. p. 254.

apud Tzetzam et in anecdoto Estensi vocentur *οἱ κατ' ἐξοχὴν λεγόμενοι ποιηταί*, illo *ἐποποιοί* alii poetae significari poterant, id quod in anecdoto sub finem primae partis factum esse cognoscimus. Ubi commemorantur *ἐποποιοὶ οἱ χωρὶς πλάσματος ἐν ἡρωικῷ ἢ καὶ ἐλεγείῳ μέτρῳ διηγούμενοί τινα διήγησιν ἢ καὶ ἠθικὰς συντιθέντες γνώμας*. Vestigium autem huius doctrinae invenimus apud Tzetzam quoque in prolegomenis ad Lycophronem, ubi p. 250 M. haec scripta legimus: *ὧν* (scil. *γνωρισμάτων*) *χωρὶς ἐποποιοὶ λέγονται*. Quibus expositis apparere iudico ab uno auctore poetas epicos esse vocatos *τοὺς κατ' ἐξοχὴν ποιητάς*, poetas gnomicos *ἐποποιούς*. Quo in numero Theognis et Phocylides commemorantur. Eandem fere sententiam invenimus apud Plutarchum de audiendis poetis 16 C.: *τὰ δ' Ἐμπεδοκλέους ἔπη καὶ Παρμενίδου καὶ θηριακὰ Νικάνδρου καὶ γνωμολογίαι Θεόγνιδος λόγοι εἰσὶ κιχράμενοι παρὰ ποιητικῆς ὥςπερ ὄχημα τὸ μέτρον καὶ τὸν ὄγκον, ἵνα τὸ πεζὸν διαφύγωσιν*. Simili autem modo iudicari in scholiis ad Dionys. Thrac. demonstravit Kaibelius l. s. s. p. 20 adn. 1.

Item res confunditur in eis, quae in anecdoto secuntur. Scriptum enim legimus: *ὅτι τῶν λυρικῶν γνωρίσματα τάδε· ποικίλοις χρῆσθαι μέτροις, πρὸς λύραν ᾄδεσθαι τὰ τούτων μέλη. ὧν ὁ χορὸς συνέστη μὲν ἐκ πεντήκοντα ἀνδρῶν κυκλικῶς ἑστώτων, ᾀδόντων τὰ τούτων ποιήματα. ταῦτα δὲ ἦσαν ἔπαινοι τῶν νικησάντων ἐν ταῖς ἐπισήμοις ἑορταῖς καὶ βοῦν δὲ ἐλάμβανον ἆθλον. ὅθεν τις ἐπισκώπτων κωμικὸς ταυροφάγους αὐτοὺς καλεῖ. — ὅτι οἱ διθυραμβικοὶ οἱ αὐτοί εἰσι τοῖς λυρικοῖς*. Quam sententiam de poetis lyricis prolatam comprobari non posse apparet. Eadem fere praebet Tzetzes in prolegomenis ad Lycophronem p. 251 sq. M. et in iambis *περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* v. 13 sqq. Sed num in prolegomenis ad Hesiodum eandem sententiam comprobaverit, difficile est ad diiudicandum, quia p. 12, 35. tantummodo haec habet verba: *καὶ γνώρισμα μέν ἐστι λυρικῶν ποιητῶν, τὸ πρὸς λύραν τὰ τούτων ᾄδεσθαι μέλη, ὡς τὰ Πινδάρου καὶ Στησιχόρου καὶ Ἀνακρέοντος*. Sed fieri poterat, ut Tzetzes sententiam commutatam hoc loco praeberet, praesertim cum in tractatibus *περὶ κωμῳδίας* iudicium falsum de Aristarchi et Zenodoti temporibus prolatum correxerit.[1]) Neque vero quicquam hac de re cum ulla probabilitatis specie proferri potest.

Ea, quae in anecdoto et apud Tzetzam de poesi lyrica scripta exstant, arte cohaerent cum eis, quae ibidem de dithyrambo traduntur. De quo quae profert Tzetzes, ea vinculo quodam cohaerere cum eis, quae scripta legimus apud Photium in excerptis ex Procli chrestomathia confectis, comprobat Kaibelius l. s. s. p. 37.[2]) Sed magnopere nostra

---

[1]) cf. Kaibelium l. s. s. p. 4.

[2]) Proclum eodem modo atque compilatorem anecdoti Estensis dithyrambi nomen derivasse Olympiodorus quoque testatur in Platonis vita c. III vol. VI p. 192. (Hermann): *διθύραμβος γὰρ ὁ Διόνυσος ὡς ἐκ δύο θυρῶν ἐξελθών, τῆς τε Σεμέλης καὶ τοῦ μηροῦ τοῦ Διός. εἰώθεσαν γὰρ οἱ ἀρχαῖοι τὰ αἰτιατὰ ὀνομάζειν τοῖς τῶν αἰτίων ὀνόμασι, καθάπερ καὶ τὸν Διόνυσον καλοῦσιν· διὸ καὶ ὁ Πρόκλος περὶ τούτου φησί· ὅσσ' εἶδον τεκέεσσιν ἐφημίξαντο τοκεῦσι.* cf. Et. Gud. s. u. *διθύραμβος* p. 146, 23, Immischium l. s. s. p. 253.

interest apud Photium 320 a 25 sq. Bekk. agi de dithyrambo,[1]) deinceps de nomo, 320 b 12 sqq. dithyrambus et nomus inter se comparantur. Sed cum Kaibelius in Prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* demonstraverit Byzantinos veluti Tzetzae auctorem et Photium Procli[2]) chrestomathia esse usos, facile fieri potuit, ut is auctor Byzantinus, cui anecdoton Est. debemus, totam materiam Procli dispositione perductus confunderet.[3]) Quod ipsum quoque Tzetzam fecisse statuendum esse censeo. Itaque Kaibelius l. s. s. p. 36. mea quidem sententia bene iudicavit. Poetae autem lyrici propterea hoc loco sunt positi, quia *ᾀσματογράφοι* lyricorum locum tenebant. Verum autem invenitur in scholiis Vaticanis artis Dionysianae p. 173, 28 H.: *Ποίησίς ἐστι λυρική · εἴρηται δὲ λυρικὴ ἀπὸ τοῦ ἀξιοπίστου ὀργάνου · οὐ μόνον γὰρ πρὸς λύραν ἐλέγετο, ἀλλὰ καὶ πρὸς αὐλὸν καὶ βάρβιτον καὶ κιθάραν καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν πρὸς πᾶν ὄργανον μουσικόν · ἀλλ' ἐπειδὴ τῶν ἁπάντων τὸ ἀξιοπιστότατον ὄργανον ἡ λύρα ἐστίν, ἀπὸ ταύτης ὠνόμασται.* Sed qua ratione factum sit, ut lyrici nominarentur *ᾀσματογράφοι*, cognosci potest ex hisce Tzetzae verbis (proleg. ad Lycophr. p. 259 M.): *Ἀισματογράφων δέ, τῶν καὶ ἀοιδῶν, γνωρίσματα τὸ ᾄσματα καὶ ᾠδὰς γράφειν κτλ.* Praeterea *ᾀσματογράφοι* et *ἀοιδοί* sunt commutati.[4]) In universum autem est dicendum in eis, quae apud Tzetzam et in anecdoto de poetis lyricis proferuntur, multa esse perturbata. Verba enim: *ταῦτα δὲ ἦσαν ἔπαινοι τῶν νικησάντων ἐν ταῖς ἐπισήμοις ἑορταῖς* referenda esse videntur ad *ἐπινίκια*. Sed quae de choro proferuntur, quadrant ad dithyrambum, quem a choro quinquaginta virorum esse cantatum Simonides affirmat fr. 147. PLG. vol. III³ p. 1174 Bergk.:

Ξεινοφίλου δὲ τόθ' υἱὸς Ἀριστείδης ἐχορήγει
πεντήκοντ' ἀνδρῶν καλὰ μαθόντι χορῷ.[5])

Quae de tauro in anecdoto scripta exstant, item cum dithyrambo quodammodo cohaerere ex Suidae verbis s. v. *ταυροφάγον* cognosci potest: *ταυροφάγον. τὸν Διόνυσον Σοφοκλῆς. ἀντὶ τοῦ, ὅτι τοῖς τὸν διθύραμβον νικήσασι βοῦς ἐδίδοτο. ἢ τὸν ὠμηστήν. ἀφ' οὗ καὶ*

---

[1]) Diversa ratione Cornutus philosophus explicat vim vocis *διθύραμβος* in Theologiae Graecae compendio c. 30 p. 61, 11. L.: *διθύραμβος δ' ὁ Διόνυσος ἐκλήθη πότερον ὡς τὸ δίθυρον τοῦ στόματος ἀναφαίνων καὶ ἐκφερομυθεῖν τὰ ἀπόρρητα ποιῶν ἢ ὡς δι' αὐτὸν καὶ ἐπὶ τὰς θύρας ἀναβαινόντων τῶν νέων ἢ ἐμβαινόντων εἰς αὐτάς, ὅ ἐστιν ἐμπιπτόντων καὶ διασαλευόντων τὰ κλεῖθρα.*

[2]) cf. imprimis haec Kaibelii verba p. 18: „Ich glaube aber, daß der Schein trügt, und daß in Wahrheit Proklos' Buch direkt oder indirekt allen folgenden Jahrhunderten die litterarhistorischen Kenntnisse vermittelt hat."

[3]) Lyricos pro nomographis esse positos uel ex eo apparere mihi videtur, quod apud Tzetzam p. 251 M. scriptum legimus: *Καὶ διθυραμβικοῖς δὲ τοῦτο κοινόν* et in anecdoto Est.: *ὅτι οἱ διθυραμβικοὶ οἱ αὐτοί εἰσι τοῖς λυρικοῖς.* Constat enim inter omnes posteriore aetate nomos dithyrambis fuisse simillimos. cf. Christium hist. litt. Gr.⁴ p. 191. cf. Clem. Alexandr. strom. I p. 133. S.: *νόμους δὲ πρῶτος ᾖσεν ἐν χορῷ καὶ κιθάρᾳ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος*, cf. Wilamowitzium ‚Timotheos' Lips. 1903, p. 95 adn. 1.

[4]) cf. Kaibelium l. s. s. p. 37.

[5]) cf. Crusium apud Pauly-Wiss. V, 1216. s. v. Dithyrambos.

ἐπὶ τὸν Κρατῖνον μετήνεγκε τοὔνομα Ἀριστοφάνης.[1] ... *τοὺς περὶ Ἀρίσταρχον οἰομένους ὅτι ταῦρος ἦν αὐτοῖς ἔπαθλον, ψευδῶς.* Simili autem ratione iudicatur in scholio ad Aristophanis ranas v. 357.

De iambographis in anecdoto Est. plura inveniuntur quam in Tzetzae ad Lycophronem prolegomenis. Derivatur autem *ἴαμβος* in anecdoto hac ratione: *ἰαμβογράφοι δὲ ἐλέγοντο ... ἀπὸ τοῦ ἰοῦ τοῦ ἐκ τοῦ στόματος αὐτῶν ἐκπεμπομένου διὰ τῆς ὕβρεως.* Quibuscum verbis conferas velim ea, quae scripta legimus in Etym. M. s. v. *Ἰάμβη* p. 463, 26: *καὶ ἰαμβεῖον εἴρηται ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, τὸ ὑβρίζειν, ἀπὸ τοῦ ἰὸν βάζειν, ἢ ὡς βέλη βάλλειν τὰ λεγόμενα.* Similia inveniuntur in Zonarae personati lexico s. v. *ἰαμβίζειν* 1082. ed. Tittmann. Iambos in Hipponactem compositos Tzetzes praebet in iambis *περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* v. 161 sqq., in anthologia autem Palatina VII 536 invenimus epigramma in Hipponactem, cuius verba atque sententiae plerumque consentiunt cum Tzetzae iambis. Quae cum ita sint, apparere censeo inter eum, qui anecdoton Est. conflavit, et Tzetzam certam quandam rationem intercedere.

Iam ad elegiam veniamus. De qua quamquam pauca inveniuntur, tamen demonstrari posse iudico verba anecdoti Est. cohaerere cum eis, quae tradita sunt in scholiis ad Dionysium Thracem, apud Proclum reliquosque. Verba enim haec anecdoti: *ὅτι ἐλεγειογράφοι εἰσὶν οἱ πρὸς τοὺς τεθνηκότας οἴκτους γράφοντες καὶ ὀλοφύρσεις* conferenda sunt cum eis, quae scripta exstant in scholiis ad Dionys. Thr. p. 174, 5. H.: *Εἶδος μὲν ποιήσεως ὁ οἶκτος οὐκ ἔστιν, εὑρίσκεται δὲ ἐν παντὶ εἴδει ποιήσεως, παρὰ λυρικοῖς, παρ' ἐλεγειογράφοις, ὁμοίως καὶ παρὰ τοῖς τὰ ἔπη γράφουσιν* et p. 477, 4.: *Ταὐτόν ἐστιν οἶκτος καὶ ἐλεγεῖον.* Didymi autem sententia in Et. M. 327, 1. invenitur: *Δίδυμος δὲ ὅτι διὰ τοῦτο τῷ ἡρῴῳ ἐπῇδον ὡς πεντάμετρον καὶ λειπόμενον τοῦ ἡρῴου, μιμούμενοι τὴν τῶν ἀποθνησκόντων ἀπόπαυσιν· ἐπὶ γὰρ μόνοις νεκροῖς πάλαι ᾔδετο πρὸς παραίνεσιν καὶ παραμυθίαν τῶν συγγενῶν καὶ φίλων τοῦ τεθνεῶτος.* Quibus verbis haec praecedunt: *Ἢ παρὰ τὸ ἒ ἒ λέγειν τοὺς τεθνεῶτας· ἢ παρὰ τὸν ἔλεγον, τὸν θρῆνον.* Praeterea Didymi sententiam habemus apud Orionem, Procli praeceptorem p. 58, 7 sqq.: *Ἔλεγος, ὁ θρῆνος. διὰ τὸ δι' αὐτοῦ τοῦ θρήνου εὖ λέγειν τοὺς κατοιχομένους. εὑρετὴν δὲ τοῦ ἐλεγείου, οἱ μὲν τὸν Ἀρχίλοχον, οἱ δὲ Μίμνερμον, οἱ δὲ Καλλῖνον παλαιότερον ὅθεν πεντάμετρον τῷ ἡρωϊκῷ συνῆπτον· οὐχ ὁμοδραμοῦντα τῇ τοῦ προτέρου δυνάμει· ἀλλ' οἷον συνεκπνέοντα, καὶ συσβεννύμενον ταῖς τοῦ τελευτήσαντος τύχαις. οἱ δὲ ὕστερον πρὸς ἅπαντας διαφόρως. οὕτω Δίδυμος ἐν τῷ περὶ ποιητῶν.* Afferenda sunt hoc loco ea, quae apud Proclum in chrestomathia inveniuntur p. 319 b 8 B.: *τὸ γὰρ θρῆνος ἔλεγον ἐκάλουν οἱ παλαιοί, καὶ τοὺς τετελευτηκότας δι' αὐτοῦ εὐλόγουν.* Similia autem apud Suidam quoque s. v. *ἔλεγος* leguntur: *ἔλεγος θρῆνος, ἀπὸ τοῦ ἒ ἒ λέγειν ἢ οἱ πρὸς αὐλὸν ᾀδόμενοι θρῆνοι· τὸν γὰρ αὐλὸν*

[1]) cf. Crusium l. s. s. 1206. Eadem fere verba praebet Etym. M. s. v. *ταυροφάγον* et Photii lexicon sub eadem voce; cf. Reitzensteinium „Epigramm und Skolion" p. 207.

πένθιμον ὑπειλῆφθαι. ἢ ὅτι πρὸς αὐλὸν ᾖδοντο οἱ θρῆνοι, τουτέστιν οἱ ἔλεγοι.[1]) Quibus exemplis allatis demonstrasse mihi videor Tzetzae et anecdoti fontem arte cohaerere cum eis, quae inveniuntur apud scholiastas in Dionysium Thracem, apud Proclum, Orionem, Didymum,[2]) id quod in eis, quae secuntur, accuratius explicabitur.

Nam summi sunt momenti, quae de epigrammatographis et apud Tzetzam et in anecdoto proferuntur. Hoc praebet epigramma illud clarissimum *εἰς τὸν Μίδου τάφον* compositum, quod primus exhibet Plato in Phaedro 264 D. Apud Tzetzam autem deest epigramma, quod in communi fonte exstitisse iudico. Quae cum ita sint, auctor ille incertus, quem Tzetzes et anecdoti compilator exscripserunt, videtur hausisse ex fonte, cuius auctor Platonem sequebatur.[3]) Quae sententia aliis argumentis confirmari potest. Nam in ea anecdoti parte, ubi de dithyrambo agitur, Plato ipse commemoratur. Scriptum enim legimus: *τὰ ἔπη δὲ αὐτῶν διθύραμβοι ἐκαλοῦντο, ὡς ὁ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ* (241 B): *ὁρᾷς ὅτι ἔπη φθέγγομαι καὶ οὐκέτι διθυράμβους.* Platonis autem ipsius verba haec sunt: *οὐκ ᾔσθου, ὦ μακάριε, ὅτι ἤδη ἔπη φθέγγομαι, ἀλλ' οὐκέτι διθυράμβους, καὶ ταῦτα ψέγων.* Haec est Procli Neoplatonici ratio magistri verba afferendi. Ille enim in commentario in Platonis rem publicam conscripto I. p. 6, 26. Kroll. haec dicit: *καθάπερ αὐτὸς ἐν τῷ Φαίδρῳ φησίν* (p. 264 c), *ὡς εἰς ἑνὸς ζῴου μέρη τε καὶ μέλη συντεταγμένα πρὸς ἄλληλα σύστασιν τὴν πραγματείαν ἅπασαν ἠκριβωμένην.* Apud Platonem l. s. s. haec scripta legimus: *Ἀλλὰ τόδε γε οἶμαί σε φάναι ἄν, δεῖν πάντα λόγον ὥςπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὐτοῦ, ὥςτε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπουν, ἀλλὰ μέσα τε ἔχειν καὶ ἄκρα, πρέποντα ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα.* Itaque intellegimus Proclum ipsa Platonis verba solere arbitrio suo commutare. Sed accedit aliud argumentum. Apud Tzetzam enim in prolegomenis ad Lycophronem compositis in epigrammatographorum numero enumerantur: *Σιμωνίδης ὁ παλαιός, οὗ Ἡρόδοτος μέμνηται, Ἀλκαῖος ὁ νέος, ὃς ἦν ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ τοῦ Ῥωμαίου καὶ Τίτου, Ἀθήναιος, Πρόκλος, Παλλαδᾶς, Ἀγαθίας καὶ ἕτεροι μύριοι.* De Athenaei vita et aetate nihil certi scimus. cf. Reitzensteinium apud Pauly-Wiss. II, 2024 Nr. 16. Proclum autem illum Neoplatonicum esse mea quidem sententia cum Muellero l. s. s. p. 258 adn. 82. est statuendum.[4]) Eum enim scimus hymnos composuisse. Sed apud Tzetzam res ita est conturbata, ut Proclus hymnographus in epigrammatographorum numero sit positus, praesertim cum post epigrammatographos de hymnographis esse actum videatur. Sed si quaerimus, quando Tzetzae et anecdoti fons communis sit compositus, nobis confugiendum est ad Agathiam,

---

[1]) cf. Et. Gud. s. v. *ἔλεγος* p. 180, 5. 12. 15., s. v. *ἐλεγεῖα* ibid. 18., Zonarae personati lexicon s. v. *ἔλεγος* 682.

[2]) cf. Kaibelium l. s. s. p. 32.

[3]) cf. ea, quae de Philopono disseruit Immischius in studiis Graecis in H. Lipsii honorem conscriptis (1894) p. 111.

[4]) Simili modo rem se habere in Tzetzae tractatu Ma p. 110 K. demonstravit Kaibelius l. s. s. p. 27.

qui fuit saeculo VI.[1]) Qua ex re fortasse concludi potest fontem illum post saeculum VI. esse conscriptum, qua aetate Heliodori scholia in Dionysium Thracem sunt composita.[2]) Fontem autem illum communem ex Neoplatonicorum doctrina emanasse ex eis quoque intellegi potest, quae secuntur. Nam in hymnographorum numero commemoratur apud Tzetzam Asclepiades Neoplatonicus, qui fuit saeculo V.[3]) Quibus demonstratis statui potest totam hanc doctrinam ad Tzetzam et anecdoti auctorem pervenisse scholiis ad Dionysium Thracem intercedentibus, ex quibus Tzetzam materiam suam hausisse Kaibelius argumentis comprobavit l. s. s. p. 12. sqq. Sed Agamestorem illum epithalamiographum a Ptolemaeo Chenno esse fictum Crusius demonstrat apud Pauly-Wiss. I, 729. Ex anecdoto autem Est. fortasse est concludendum in communi Tzetzae et anecdoti fonte Agamestoris esse factam mentionem.

Sub finem huius anecdoti partis commemorantur *ἐποποιοί*, de quibus supra est actum. Tamen e re esse mihi videtur ea, quae in anecdoto de eis inveniuntur, comparare cum eis, quae scripta exstant in schol. ad Dionys. Thrac., apud Photium Diomedemque. In anecdoto enim haec scripta legimus verba: *ἐποποιοὶ . . . διηγούμενοί τινα διήγησιν ἢ καὶ ἠθικὰς συντιθέντες γνώμας,*[4]) in scholiis Londin. p. 450, 13 H.: *γνωμολογικόν ἐστι τὸ γνώμας καὶ παραινέσεις καὶ ὑποθήκας ⟨περι⟩έχον πρός τινα,* apud Photium p. 322 a 35: *τὰ δὲ γνωμολογικὰ δῆλον ὅτι παραίνεσιν ἠθῶν ἔχει,* apud Diomedem C G F. p. 54 K.: ‚*⟨παρ⟩αγγελτική* est qua sententiae (i. e. *γνῶμαι*) scribuntur, ut est Theognidos liber, item chriae.' Apud Tzetzam autem in prolegomenis ad Lycophronem propterea omittuntur *ἐποποιοί* quia in fine totius tractatus ponendi erant *μονῳδοί*, quo in numero erat Lycophron.

In altera anecdoti parte agitur de tragoedia, comoedia, fabula satyrica. Comprobatur Kaibelii sententia, quam protulit l. s. s. p. 42: „Es hat sich gezeigt, daß ein umfängliches Stück über die Komödie bei Tzetzes und in den Dionysscholien sein Gegenstück in einer ähnlichen Abhandlung über die Tragödie hatte (dies nur in den Dionysscholien überliefert) und daß beide einem litterargeschichtlichen Zusammenhange entnommen waren, in welchem Komödie und Tragödie (und zweifellos auch das Satyrdrama) auf den gleichen Ursprung zurückgeführt wurden (s. o. S. 14). Die Vermutung liegt nahe, daß Proklos auch hier als Quelle gelten muß." Scriptum enim legimus in anecdoto: *ὅτι οἱ κωμικοὶ καὶ σατυρικοὶ καὶ τραγικοὶ ἑνὶ ὀνόματι τραγικοὶ τὸ πρῶτον ἐκαλοῦντο ἀπὸ τῆς τρυγὸς, ἢ τὰ πρόσωπα χρίοντες ᾖδον . ἢ ἀπὸ τοῦ τράγου, ὃν δῶρον ἐλάμβανον . ἢ τραχῳδία καὶ τραγῳδία τοῦ $\bar{\chi}$ τραπέντος εἰς $\bar{\gamma}$. τραχείας γὰρ ᾠδὰς τὸ πρῶτον ᾖδον ἐν τοῖς θρήνοις.*

---

[1]) cf. Reitzensteinium apud Pauly-Wiss. vol. I. 744., Christium hist. litt. Gr.[4] p. 824. Palladae autem minime est ratio habenda, quod saeculo IV. exeunte floruit. cf. Christium l. s. s. p. 825.

[2]) cf. Kaibelium l. s. s. p. 4.

[3]) cf. Freudenthalium apud Pauly-Wiss. II, 1631 Nr. 35.

[4]) cf. Zonarae personati lexicon 807 s. v. *ἐποποιία· ἡ διὰ ἡρωϊκοῦ μέτρου ἱστορία. καὶ γὰρ στερουμένη μύθου ποίησις ἐποποιία ἐστίν.*

Similia autem apud Tzetzam inveniri apparet. In scholiis ad Dionysium Thracem a Melampode seu Diomede compositis vox *τραγῳδία* hoc modo derivatur p. 18, 3 sqq. H.: *Ἡ δὲ ἐτυμολογία τῆς τραγῳδίας ἐστὶν αὕτη· ἢ ὅτι τράγον ἐλάμβανον ἔπαθλον οἱ νικῶντες, οἱονεὶ ἡ ἐπὶ τράγῳ ᾠδή. ἢ ὅτι τοῦ ᾱ τρεπομένου εἰς ῡ νοεῖται τρυγῳδία, τὰς ὄψεις γὰρ περιχρίοντες τρυγίᾳ ᾖδον. ἢ ὅτι τοῦ γ̄ εἰς χ̄ νοεῖται τραχῳδία, ἡ τραχεῖα ᾠδή. τραχύτερον γὰρ καὶ φευκταῖον καὶ δύσβατον τὸ τῶν θρήνων εἶδος τοῦ γελωτοποιεῖν· ἢ οἱονεὶ τετραγωνῳδία· οἱ γὰρ χορευταὶ αὐτῶν ἐν τετραγώνῳ σχήματι ἱστάμενοι τὰ τῶν τραγικῶν ἐπεδείκνυντο.*[1]) Eadem fere scripta leguntur in Etym. M. s. v. *τραγῳδία* 764, 1 sqq. Imprimis autem haec sunt verba consideranda lin. 10 sqq.: *ἦν δὲ τὸ ὄνομα τοῦτο κοινὸν καὶ πρὸς τὴν κωμῳδίαν· ἐπεὶ οὔπω διεκέκριτο τὰ τῆς ποιήσεως ἑκατέρας*. Quibus ex locis efficitur, ut anecdoti Est. doctrina manaverit ex eis fontibus atque per eos rivulos, de quibus copiosius egit Kaibelius in prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* p. 14. Sed alia quoque vestigia comparationis illius, quae inter tragoediam comoediam fabulam satyricam intercedit, exstant in anecdoto. § 3 enim partis alterius haec inveniuntur: *ὅτι ὕστερον ἡ ποίησις αὕτη διῃρέθη εἰς τρία, εἰς κωμῳδίαν, τραγῳδίαν καὶ σατυρικήν*. Deinceps de nominibus horum dramatis generum agitur, tertio loco de fabula satyrica hac ratione: *ἡ δὲ σατυρικὴ ἀπὸ τῶν γεωργῶν τῶν εὑρόντων αὐτήν, σατύρων καλουμένων, ἢ ἀπὸ τῶν σατύρων τῶν τοῦ Διονύσου ὀπαδῶν, οἳ σάτυροι ἐκαλοῦντο ἀπὸ σεσηρέναι, ὅ ἐστι κεχηνέναι τὸ στόμα ὑπὸ γέλωτος*. Apud Tzetzam autem in prolegomenis ad Lycophronem haec tantummodo verba scripta legimus: *ἡ σατυρικὴ δὲ ἀπὸ τῶν σατύρων ἐκλήθη τῶν εὑρόντων αὐτήν, ἤτοι γεωργῶν καὶ εὐτελῶν ἀνθρώπων*. Alteram anecdoti derivationem vocis *σατυρική*, quae, quantum video, rarissime invenitur, ex bono fonte manasse ex eis intellegi potest, quae scripta exstant apud Cornutum philosophum in Theologiae Graecae compendio c. 30 p. 59 Lang.: *τῆς δ' ἐν τοῖς πότοις παιδιᾶς, εἴτ' ἐκστάσεως σύμβολόν εἰσιν οἱ Σάτυροι τὴν ὀνομασίαν ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι*. Praeterea eandem sententiam invenimus apud Aelianum var. hist. III, 40: *Σάτυροι δὲ ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι. σεσηρέναι* autem eandem vim habere atque *κεχηνέναι* cognosci potest ex lexicis Graecis. Veluti apud Hesychium s. v. *σέσηρε* scriptum videmus: *γελᾷ δολίως. ψύχει τοὺς ὀδόντας* (*γελῶσα*) et s. v. *σεσηρώς· κεχηνώς. διηνοιγμένον, ἀνοικτὸν ἔχων στόμα*, apud Photium s. v. *Σέσηρεν· κέχηνε· διήνοιγεν*, s. v. *Σεσηρέναι· καὶ σαρκάζειν· τὸ τοὺς ὀδόντας φαίνειν ἐπὶ διαμωκήσει*, apud Suidam s. v. *σέσηρε· κέχηνε, διήνοιγε*. Apud Eustathium autem ad Homeri Odysseae lib. *υ*. 302 p. 1893, 19 haec scripta legimus: *ἐθέλουσι δὲ οἱ παλαιοὶ ἄμεινον εἶναι, σαρδόνιον γέλωτα λέγεσθαι τὸν ἐπὶ καταμωκήσει προσποίητον παρὰ τὸ σεσηρέναι, ἤγουν ὑπανοίγειν τὰ χείλη, ὡς δηλαδὴ προείρηται.*[2])

[1]) cf. etiam p. 172, 18 et 306, 10. 27 H., Kaibelium l. s. s. p. 13 sq.

[2]) cf. Zonarae personati lexicon 1637 s. v. *σεσηρότα· κεχηνότα· χαίροντα· γελῶντα· παίζοντα*. Si quaerimus, qua de causa rara exstent vestigia veterum de fabula satyrica doctrinae, apparet hanc esse antiquitatis exeuntis saeculis neglectam. Nam una fabula satyrica aetatem tulit, scilicet Euripidis Cyclops.

§ 6. alterius anecdoti partis agitur de choro et proprietatibus tragoediae et fabulae satyricae, de qua haec scripta legimus: *ὅτι καὶ σατύρων ἴδιον τὸ τοσούτους ἔχειν χορευτάς, ὅσους καὶ οἱ τραγικοί, καὶ τοῖς γέλωσι καὶ σκώμμασι συγκιρνᾶν καὶ ὀλοφύρσεις. Πρατίνας δὲ ἄριστος σατυρικός.* Quibus cum verbis conferenda sunt ea, quae in Tzetzae scholiis ad Lycophronem p. 255 M. inveniuntur: *ἡ δὲ σατυρικὴ ποίησις συγκιρνᾷ ταῖς ὀλοφύρσεσιν ἱλαρότητα, καὶ ἀπὸ δακρύων εἰς χαρὰν καταντᾶν εἴωθε.* Hanc autem sententiam Tzetzes ipse impugnat in tractatu *περὶ κωμῳδίας* Ma § 27 (p. 30 Kaibel): *ταῦτα μέν μοι Ἡλιοδώρῳ συμπέπτωκε, τοῖς δὲ τὰς τραγικὰς βίβλους ἐξηγησαμένοις πεισθείς, οἷς καὶ οὗτοί φασι τὰ αὐτά, εἶπον Ὀρέστην καὶ Ἄλκηστιν Εὐριπίδου καὶ τὴν Σοφοκλέους Ἠλέκτραν εἶναι σατυρικὰ δράματα, ὡς ἀπὸ πένθους εἰς χαρὰν καταλήγοντα, καὶ οὕτω μέτροις τε καὶ λοιποῖς μου συγγράμμασιν γράφων ἐδίδασκον, ἕως ἀναγνοὺς Εὐριπίδου πολλὰ δράματα εὗρον καὶ ἔγνων τὰ σατυρικὰ δράματα τέρψεις θυμελικὰς ἀμιγεῖς καὶ γέλωτα φέροντα.*[1]) Hunc autem errorem Tzetzam commisisse Euclidis scholiis ad Dionysium Thracem perductum Kaibelius in prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* p. 5 demonstravit. Itaque iterum ad eum fontem pervenimus, qui aliqua ratione cohaereat cum scholiis ad Dionysium Thracem compositis. Forsitan censeatis fontem illum communem fuisse scholia in Dionysium Thracem conscripta, quae aetatem non tulerunt, id quod comprobatur § 2 alterius anecdoti partis.

Hac enim paragrapho agitur de origine poeseos dramaticae. Anecdoti autem narratio congruit cum ea, quae invenitur in scholiis in Dionysium Thracem et in Tzetzae tractatu Pa p. 12 sqq. Kaibel. Quibus de rebus egit Kaibelius in prolegomenis p. 42 sqq. Sed consideranda sunt ea, quae sub finem huius paragraphi scripta exstant: *σωφρονισθέντων δὲ τῶν κακούργων ἐψηφίσατο ἡ τῶν Ἀθηναίων βουλὴ κατ' ἐνιαυτὸν τοῦτο ποιεῖν ἐν ἔαρι καὶ μάλιστα ἐν Διονυσίοις τοὺς ἀγροίκους συναγειρομένους καὶ μετά τινος εὐρυθμίας τὰς ἀδικίας καταλέγοντας. χρόνων δὲ προελθόντων σοφοὶ τοὺς ἀγροίκους διαδεξάμενοι σοφῶς ἅπαντα καὶ κοσμίως ἔπραττον.* Quibus verbis mihi quidem videtur comprobari id, quod Zielinskius in ephemeride philol. class. vol. XV. (1898) 1341 demonstrare studuit. Censet enim haec omnia esse referenda ad Atthidem quandam.

§ 3. derivatur in anecdoto vox *κωμῳδία* hoc modo: *ἀπὸ τοῦ τόπου, ἐν ᾧ ᾖδοντο, τῆς κώμης δηλαδή, τὸ ὄνομα ἔσχε ἢ ὅτι κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ κώματος ἤγουν τοῦ ὕπνου εὑρέθη.* Tertiam autem derivationem praebet Tzetzes in prolegg. ad Lycophronem p. 256 M.: *ἢ ὅτι ἐν τοῖς κώμοις καὶ πότοις τοῦ Διονύσου εὑρέθη*, id quod comprobat Aristoteles in arte poet. c. 3 p. 1448 a 36. cf. ea, quae de tota hac quaestione disseruit Kaibelius in prolegomenis p. 13 sqq. et 43 sqq.

Sequitur in anecdoto ea pars, quae est de *θυμέλη*. Cuius

Huc accedit, quod Aristotelis artis poeticae liber alter, in quo quasi *ἐν παρέργου μέρει* fortasse illa erat tractata, saeculorum incuria est oppressus.

[1]) cf. ea, quae Tzetzes dicit P b 26 p. 21 K. et M b 37 p. 33 K.

doctrinae vestigia inveniuntur apud Tzetzam in prolegomenis ad Lycophronem p. 254 M.: *καὶ μιμητικῶς ἐν τῇ θυμέλῃ τὰ τούτων δράματα λέγεσθαί τε καὶ δρᾶσθαι* et in iambis *περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* v. 102: *μιμητικῶς τε πάντα δρᾶν τῇ θυμέλῃ.*

Neque vero quicquam eiusmodi in ceteris tractatibus, qui sunt de poesi dramatica, inveni. Jam videamus, quid in lexicis de voce *θυμέλη* tradatur.[1]) In anecdoto enim scriptum legimus: *ἦν δὲ ἡ θυμέλη βῆμά τι ἢ καὶ βωμός. ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ δὲ ἵστατο, ἐν ᾗ καὶ ὁ χορὸς ἦν*[2]). *σκηνὴ μὲν γὰρ ὑποκριτῶν τόπος, ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ.* Similia autem scripta legimus apud Pollucem IV, 123: *ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ, ἐν ᾗ καὶ ἡ θυμέλη, εἴτε βῆμά τι οὖσα, εἴτε βωμός. ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς καὶ ἀγυιεὺς ἔκειτο βωμὸς πρὸ τῶν θυρῶν. καὶ τράπεζα, πέμματα ἔχουσα.* Ea autem anecdoti verba, quae secuntur: *θύμέλη δὲ λέγεται, ἐπειδὴ ἐν αὐτῇ τὰ θύη ἤγουν τὰ ἱερεῖα μεληδὸν ἔτεμνον. τράπεζα γάρ τις ἦν, περὶ ἣν τὸ παλαιὸν ἐφεστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ᾖδον, μήπω τῆς τραγῳδίας τάξιν λαβούσης,* comparanda sunt cum eis, quae praebet Etym. M. s. v. *θυμέλη* 458, 30: *ἡ τοῦ θεάτρου μέχρι νῦν ἀπὸ τῆς τραπέζης ὠνόμασται, παρὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς τὰ θύη μερίζεσθαι τουτέστι τὰ θυόμενα ἱερεῖα. Τράπεζα δὲ ἦν, ἐφ' ἧς ἑστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ᾖδον, μήπω τάξιν λαβούσης τραγῳδίας.*[3]) Summi autem sunt momenti haec Orionis verba in lexico s. v. *θυμέλη* p. 72, 8: *Θυμέλη· παρὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς τίθεσθαι τὰ θυόμενα ἱερεῖα. τράπεζα δὲ ἦν πρὸ τούτου, ἐφ' ἧς ἑστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ᾖδον, μήπω τάξιν λαβούσης τῆς τραγῳδίας.*[4]) Ex Orione autem facillime haec de *θυμέλη* doctrina in Procli Neoplatonici chrestomathiam manare potuit. Itaque censeo Proclum ipsum, cum poesin dramaticam tractaret, egisse etiam de *θυμέλη*. Illo autem intercedente haec omnia pervenerunt ad auctores Byzantinos.

In eis, quae in anecdoto secuntur, comoedia dividitur in partes tres: primae comoediae *ἀρχηγέτης* nominatur Susarion, secundae poetae sunt Cratinus, Eupolis, Aristophanes, Plato, tertiae Menander et Philemon. Eodem modo dividit Tzetzes in tractatu P b 24 sqq. (p. 20 Kaibel) et M a 15 sqq. (p. 27 Kaibel). Hac de re egit Kaibelius in prolegomenis p. 47.

---

[1]) Hesychius s. v. *θυμέλαι· οἱ βωμοί, καὶ τὰ ἄλφιτα τὰ ἐπιθυόμενα,* idem s. v. *θυμέλη· οὕτως ἔλεγον ἀπὸ τῆς θ(υ)ηλῆς τὸν βωμόν. οἱ δὲ τὸ ἐπίπυρον, ἐφ' οὗ ἐπιθύουσιν, ἢ ἔδαφος ἱερόν.* Photius s. v. *Θύμελον· τὸν βωμόν.* Suidas s. v. *θυμέλη· ὁ βωμός, ἀπὸ τοῦ θύειν.*

[2]) Isidorus in Originum lib. XVIII, 47. de thymelicis haec dicit: ‚Thymelici autem erant musici scenici, qui in organis et lyris et citharis praecinebant. Et dicti thymelici, quod olim in orchestra stantes cantabant super pulpitum, quod thymele vocabatur'.

[3]) Praeterea cf. Etym. M. s. v. *σκηνή* 743, 35: *εἶτα μετὰ τὴν ὀρχήστραν βωμὸς ἦν τοῦ Διονύσου, τετράγωνον οἰκοδόμημα κενὸν ἐπὶ τοῦ μέσου, ὃ καλεῖται θυμέλη, πρὸς τὸ θύειν.*

[4]) cf. Zonarae personati lexicon 1062. s. v. *θυμέλη· ἡ τοῦ θεάτρου. μέχρι νῦν ἀπὸ τῆς τραπέζης ὠνόμασται, διὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς τὰ θύη μερίζεσθαι, τουτέστι τὰ θυόμενα ἱερεῖα· τράπεζα ἦν, ἐφ' ἧς ἑστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ᾖδον, μήπω τάξιν λαβούσης τραγῳδίας.* Eadem verba inveniuntur in Etym. M. l. s. s.

Etiam de choro poeseos dramaticae videtur esse actum, id quod ex hisce anecdoti verbis cognosci potest (§ 5): *ὅτι κωμῳδίας ἴδιον τὸ ἔχειν κδʹ χορευτὰς καὶ τετράγωνον χορὸν καὶ τὸ ὕβρεις τινὰς καὶ σκώμματα ἔχειν καὶ συνιστάναι τὸν βίον διὰ τῶν τοιούτων σκωμμάτων.* § 6. *ὅτι τραγῳδίας ἴδιον τὸ πεντεκαίδεκα ἔχειν χορευτὰς καὶ τὸ θρήνους λέγειν καὶ οἰμωγὰς καὶ διὰ τούτων καταλύειν τὸν βίον.* Apud Tzetzam autem in prolegomenis ad Lycophronem haec inveniuntur p. 254. M.: *διάφορον δὲ αὐτοῖς τὸ τὴν κωμῳδίαν γέλωτα ἔχειν καὶ σκώμματα καὶ κδʹ* [1]) *χορευτάς, τὴν δὲ τραγῳδίαν καὶ τοὺς σατύρους ἐπ' ἴσης μὲν ἔχειν χορευτὰς ιςʹ* [2]) et in iambis *περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* v. 108. sqq.: *διαφορὰν μάνθανε τῆς κωμῳδίας,*
ἧς εἰκοσιτέσσαρες οἱ χορεργάται,
ἑκκαίδεκα δὲ σατύρων τραγῳδίας.

Eiusdem doctrinae vestigia traduntur in commentario Melampodis seu Diomedis in artis Dionys. § 2 p. 18, 8. H.: *οἱ γὰρ χορευταὶ αὐτῶν ἐν τετραγώνῳ σχήματι ἱστάμενοι τὰ τῶν τραγικῶν ἐπεδείκνυντο. Ἦσαν δὲ τῶν μὲν τραγικῶν χορευταὶ ιδʹ, τῶν δὲ κωμικῶν κδʹ. ἕκαστος οὖν ποιητὴς τραγικὸς καὶ κωμικὸς εἶχε τούτους προεκμανθάνοντας τὰ αὐτοῦ καὶ τρεφομένους ἀπὸ τοῦ δημοσίου.* De numero igitur singulorum chororum minime consentiunt auctores. Sed si rationem habuerimus horum Pollucis verborum IV, 108: *καὶ τραγικοῦ μὲν χοροῦ, ζυγὰ πέντε ἐκ τριῶν. καὶ στοῖχοι τρεῖς ἐκ πέντε. πεντεκαίδεκα ἦσαν ὁ χορός* et 109: *ὁ δὲ κωμικὸς χορὸς τέτταρες καὶ εἴκοσιν οἱ χορευταί, ζυγὰ ἕξ,* intellegemus ea, quae in anecdoto Est. inveniuntur, esse comprobanda.[3]) Praeterea mea quidem sententia dicere possumus in ea arte poetica, ex qua Proclum aliosque auctores materiam suam sumpsisse cum Kaibelio est statuendum, de poeseos dramaticae choro esse actum.[4])

Quibus expositis argumentis comprobasse mihi videor auctorem anecdoti Estensis in prima et altera parte et Tzetzam in prolegomenis ad Lycophronem, in iambis *περὶ διαφορᾶς ποιητῶν*, in prolegomenis ad Hesiodum ex eisdem fontibus hausisse, ex quibus Tzetzam in prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* pendere demonstravit Kaibelius: dico scholia ad Dionysium Thracem, Proclum, Orionem, Didymum.

Sed quaeritur, quid novi lucremur ex anecdoti partibus adhuc tractatis. In prima parte anecdoti auctor quamquam nonnullis locis paulo differt a Tzetzae commentationibus, tamen in universum cum eis congruit; de altera autem parte eodem modo est iudicandum. Neque vero caput, quod est de *θυμέλη*, invenitur in Tzetzae tractatibus, in quibus agitur de tragoedia et comoedia. Praeterea plura in anecdoto scripta exstant de fabula satyrica quam apud Tzetzam.

Iam ad tertiam anecdoti partem transeamus, quae est de poesi bucolica. Haec autem pars singularem quendam locum obtinet. Nam multo ampliorem scriptam memoriam praebet quam ea prolegomena,

---

[1]) Sic esse scribendum ex Tzetzae iambis *περὶ διαφορᾶς ποιητῶν* intellegimus.
[2]) cf. adn. 1.
[3]) cf. Reischium apud Pauly-Wissowam s. v. „Chor' vol. III. 2391.
[4]) cf. Kaibelium l. s. s. p. 66.

quae adhuc innotuerunt. Hoc autem commemorandum est hanc anecdoti partem certo consilio esse conflatam. Nam quis est, quin intellegat dispositionem quandam esse adhibitam? Primo enim loco de origine poeseos bucolicae auctor ille incertus verba facit, deinde de Theocrito ipso, tum de vocibus *βουκολική* et *βουκόλος*, de editione bucolicorum ab Artemidoro confecta, de dicendi generibus, de dialecto Dorica, de voce *εἰδύλλιον*. Ea autem, quae apud Ahrensium et Zieglerum publici iuris sunt facta, aliam dispositionem videntur praebere. Sed hoc est reputandum apud illos tantummodo excerpta quaedam videri exstare.

Atque primo loco in anecdoto Estensi narratio de origine carminis bucolici profertur, quae mea quidem sententia fluxit ex vetere bonoque fonte. *ἀγύρται* enim describuntur eodem modo et eisdem fere verbis atque in prolegomenis ab Ahrensio et Zieglero publici iuris factis. Praeterea argumento nobis sunt, quae apud Probum III, 2 p. 325 Thilo-Hagen scripta legimus: ‚Ad eius dedicationem plurimi pastores confluxerunt cum utribus vino plenis et panibus figuras ferarum vel pecorum referentibus iique instituerunt, ut ii, qui convenerant, laudes Deae dicerent certato, qui eas rectius prosequeretur, contenderent autem in ea forma ornati, ut cornua fronti adiuncta taenia obligarent cum utre et reticulo, quo panificia haberent, et, quicumque vicisset, praemium haberet, quod is, qui victus erat, contulisset: permissumque, ut inde exirent et quibus cantaverunt, iisdem illis fausta ominarentur.' Atque etiam secundum ea, quae in priore huius dissertationis parte exposuimus, permagni nostra interest eiusdem doctrinae vestigia inveniri apud Diomedem quoque p. 57, 1 Kaibel: ‚erat panis magnus omnium ferarum imagine completus et uter cum vino et follis cum omnium leguminum genere; inerat et corona in capite et in manu pedum clavatum. atque ita victorum omnium fores multitudo circumibat, carmen in victoriam, quam adepti fuerant, canebant et de eo folle limina frugibus spargebant.' Sed in eis, quae secuntur, tota haec consuetudo ab anecdoti auctore explicatur. Qua in re commemorantur *διαλλακταί*, qui Syracusis cives inter se dissidentes atque discordantes feruntur reconciliavisse: *ἐπὶ εἰρήνῃ γάρ, ὡς ῥηθήσεται, εὕρηται τὰ βουκολικά. ἥ τε πανσπερμία τὴν ἀπὸ τῆς εἰρήνης ἐπίδοσιν ἐν ταῖς πόλεσι δηλοῖ. ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ στέφανος νίκης τε ἅμα σύμβολον καὶ χαρᾶς.* Eodem modo dicit auctor ille Byzantinus panem, vinum, *σπονδήν* signa esse pacis. Sed in eis, quae secuntur, demonstrandum erat, qua ratione ei, qui carmina bucolica cantabant,[1]) cohaererent cum pace illa et cum pacis conciliatoribus. Hoc autem ita fit, ut dicatur: *ὧν δὴ διαλλακτῶν τόπον ἐπεῖχον οἱ τὰ βουκολικὰ ᾄδοντες.* Quae ratio explicandi est admodum facilis atque vilis. Sed huc accedit, quod ea, quae secuntur, omnino non quadrant ad totam explicationem modo prolatam. Nam Pan affertur, cum sit pastorum deus, id quod suo iure ille dicit. Tota autem hac particula explicantur haec verba supra allata: *στέφανόν τε περιέκειντο καὶ κέρατα*

[1]) Initio huius anecdoti partis scriptum legimus: *ὅτι τῶν τὰ βουκολικὰ συγγραψάντων ἴδια . . . τὸ μιμεῖσθαι εἰς ἄκρον ἀγροίκων ὁμιλίας καὶ νομέων, χαριέντως αὐτὰς ἐκφράζων.*

ἐλάφων προέκειτο αὐτοῖς. μετὰ χεῖράς τε εἶχον λαγωβόλον. Quibus expositis ille ex improviso redit ad pacem supra commemoratam. Id quod eo consilio fecit, ut versus illos interpretaretur. Sed praecipue considerandum est in versibus illis agi de dea, quam Dianam esse ex Probi et Diomedis locis s. s. meo iudicio apparet. Itaque mihi quidem videtur hoc tractatus loco materia ab auctore Byzantino esse perturbata. Contra apud Probum et Diomedem disputatio dilucida non continet offensiones. Sed quaeritur, utrum ea, quae de Pane invenimus in anecdoto Est., omnino sint abicienda necne. Scriptum enim legimus apud Servium III[1] p. 1 ed. Thilo: ‚Alii non Dianae, sed Apollini Nomio consecratum carmen hoc volunt, quo tempore Admeti regis pavit armenta. alii rusticis carminibus a pastoribus dicatum hoc asserunt carmen, ut Pani, faunis, nymphis ac satyris', et apud Iunium Philargyrium III[2] p. 11: ‚Alii Apollini *νομίῳ*, pastorali scilicet Deo, qua tempestate Admeti boves paverat, alii Libero Nympharum et Satyrorum et id genus numinum principi, quibus placet rusticum carmen. Alii Mercurio, Daphnidis patri, pastorum omnium principi. Alii in honorem Panos peculiariter scribi putant. Plerique a Syracusanis primum compositum. Quae cum omnia dicantur, illud erit probatissimum, Bucolicorum carmen originem ducere a priscis temporibus, quibus vita pastoralis exercebatur.' Eadem fere verba inveniuntur in Vergilii vita de Donati commentario sublata (apud Hagenium in scholiis Bernensibus ad Vergilii Bucolica atque Georgica p. 742). Scholiastae autem haec verba afferam: ‚alii in honorem Panos scribi putant, peculiariter pastoralis dei, [et] item Sileni, Silvani atque Faunorum.' Quibus cum locis si anecdoti verba comparaverimus, facile fore ad intellegendum iudico in fonte illo Graeco, ex quo et Graeci et Romani auctores pendent, Panem esse commemoratum; sed fortasse sub finem totius capitis de carminum bucolicorum origine conscripti, id quod apud Romanos factum esse videmus, huius est ratio habita. Itaque factum est, ut in prolegomenis ad Theocritum Graecis Pan omnino neglegeretur, quod haec pars facile intercidere poterat. Suppleri autem poterat disputatio scholiis. Veluti in scholio ad idyll. I, 3. p. 34, 26. Ahrens. scriptum legimus: *καὶ τὸ μὲν κεράτων ἀπομίμημα ἡλίου καὶ σελήνης καὶ μηνίσκους φασὶν εἶναι, τὸ δὲ παρδαλῆν ἐνῆφθαι τῆς [γῆς] φαντασίας εἵνεκα, τὰ δὲ κάτω ⟨τραγώδη καὶ⟩ λάσια*[1]) *τῶν τῆς γῆς στερρῶν καὶ τῶν ἐν αὐτῇ πεφυκότων.* Atque aliud proferam argumentum. Simili enim ratione atque in anecdoto Pan venator[2]) effingitur in nummis urbium Siciliensium. Veluti in nummo Messanae excusso Imhoof-Blumeri testimonio (Monn. gr. p. 21, v. tab. B, 5) haec inveniuntur:[3]) ‚Pan nu, imberbe et cornu, assis à g. sur un rocher recouvert d'une nébride. De la main g. il tient un lagobolon et de la dr. il caresse un lièvre, qui se dresse devant lui sur les pieds de derrière'. Ad haec autem verba adnotat Roscherus: ‚Der Hase,

---

1) Similia verba inveniuntur in anecdoto Est.
2) De Pane venatore cf. Roscheri lexicon mythologicum vol. III, 1 1385 sqq.
3) cf. Roscherum l. s. s. 1377 et 1414.

welcher auch auf rheginischen Münzen vorkommt, wo er ebenfalls als Symbol des Pankults gilt, ist nach Aristot. b. Poll. 5, 75 in Sizilien, das ursprünglich ebenso wie Ithaka und Karpathos keine Hasen hatte, erst von Anaxilas (dem Pan zu Liebe?) eingeführt und deshalb auf dessen Münzen als Typus gesetzt worden'. In nummo Therae excusso secundum Imhoof-Blumerum haec videmus: ‚Pan nu, barbu et cornu, debout de face, les jambes de bouc croisées et jouant de la syrinx.' Sed satis exemplorum. Quibus expositis demonstravisse mihi videor aliquid veri atque boni in anecdoto inveniri. Cognovimus enim poesin bucolicam coniunctam esse aliqua ratione cum Pane, pastorum deo. Quo argumento nisus Reitzensteinii sententiam, quam de poeseos bucolicae origine in libro ‚Epigramm und Skolion' inscripto p. 193 sqq. protulit, minime esse comprobandam iudico.[1]) Neque vero negari potest ea quoque, quae in anecdoto Est. inveniuntur, ut supra diximus, non stare posse. Primo enim obtutu apparere censeo inde ab anecdoti verbis: *ὅτι ὁ μὲν ἄρτος καὶ ὁ οἶνος καὶ ἡ σπονδὴ σημεῖα κ.τ.λ.* usque ad verba: *κακοδαίμονες δὲ γίνονται ἐν τῷ πολέμῳ* auctorem Byzantinum, cui anecdoton Est. debemus, ea interpretari, quae praecedunt: *ἄρτοι τε ἐξήρτηντο — ἂν ἐκαλέσατο τῆνα.* Sed hac in re quaecumque ei videbantur quadrare, suo attulit arbitrio. Nam quae de Pane proferuntur, per se ipsa esse comprobanda, hoc autem loco male esse allata supra demonstravimus. Atque etiam in usum suum convertit auctor Byzantinus fabulam illam, quae est de discordia Syracusis exorta. Rationem enim et mentem suam secutus inducit *διαλλακτάς,* non Dianam, quae secundum reliquos auctores reconciliavit discordantes. Alteram autem narrationem, in qua commemorat Dianam, ipse quoque III, 2 affert. Qua in re premendum esse iudico illud *ἀληθέστερον δέ φασι οἱ λέγοντες.* Comparativum enim hoc loco adhibet. Veram autem narrationem auctor ille incertus sententia sua ipse praebet initio eius anecdoti partis, quae est de carminibus bucolicis. Sed quod apud Romanos de Syracusanorum discordia nihil invenitur, id fonti illi communi, ex quo auctores Romanos hausisse equidem cum Reitzensteinio l. s. s. p. 194 censeo, meo iudicio est tribuendum.

Si quaerimus, quanam aetate anecdoti Estensis pars tertia conscripta esse videatur, nobis mea quidem sententia confugiendum est ad alias anecdoti paragraphos, imprimis ad eam, in qua vox *βουκόλος* derivatur. Praemittam autem in ultima anecdoti paragrapho et in prolegomenis ab Ahrensio publici iuris factis (p. 7) Luciani dialogos commemorari. Qua de causa concludendum esse censeo prolegomena Graeca, qualia aetatem tulerunt, post Luciani tempora esse confecta. Primo autem loco in anecdoto Est. haec leguntur: *ὅτι βουκόλος, ὅθεν καὶ βουκολικά, λέγεται ὁ τῶν βοῶν νομεὺς ὡς μέν τινες, κακῶς τὸ ἔτυμον λέγοντες, παρὰ τὸ βοῦς καὶ τὸ ῥονεῖν τὸ ἐνεργεῖν καὶ διατρίβειν. ῥονεῖ γὰρ ἢ ἐνεργεῖ τι περὶ τὰς βοῦς ὁ βουκόλος.* Hoc loco manifestam corruptelam in libro manuscripto exstare censeo. Neque enim

---

[1]) cf. Helmium in annal. Fleckeisen. vol. 153 (1896) p. 457 sqq.

ullo alio loco, quantum video, illud *ῥονεῖ* invenitur. Nam scriptum legimus apud Orionem, Procli Neoplatonici praeceptorem 32, 5 s. v. *βουκόλον· ἤτοι βουκόνον, παρὰ τὸ κονεῖν περὶ τὰς βοῦς, τροπῇ τοῦ κ̄ εἰς λ̄, ὡς νίτρον λίτρον.* Eadem autem verba ex Orione hausta scripta videmus in Etymologico Gudiano s. v. *βουκόλοι* 112, 30 sqq., s. v. *βουκόλος* haec inveniuntur: *βουκόνος τις ὤν, παρὰ τὸ κονεῖν εἰς ἔριν τὰς βοῦς ὅ ἐστιν ἐ ν ε ρ γ ε ῖ ν κ α ὶ δ ι α τ ρ ί β ε ι ν.*[1]) Neque vero dubito, quin haec quoque verba, quae mirum in modum congruunt cum verbis in anecdoto Est. traditis, ad Orionem sint referenda. Huc accedit, quod eodem modo vox *βουκόλος* derivatur in Etym. M. 208, 11: *βουκόλος· ἤτοι βουκόνος τις ὤν, παρὰ τὸ κονεῖν περὶ τὰς βοῦς, ὅ ἐστιν ἐνεργεῖν καὶ διατρίβειν.* Quae verba item Orioni tribuo. His tot causis commotus in anecdoto *κονεῖν* pro *ῥονεῖν* scribendum esse iudico. In eis autem, quae secuntur, in anecdoto Est. haec proferuntur: *ὡς δ' ἕτεροι κάλλιον παρὰ τὸ κέλεσθαι ἤγουν προστάσσειν τοῖς βουσὶν ἢ τὸ κέλλειν ἢ τρέχειν σὺν τοῖς βουσί, βούκελος καὶ βουκόλος . . . . ὅτι δὲ καὶ κέλλω τὸ τρέχω λέγεται, ὅ τε κέλης ὁ δρομαῖος ἱππεὺς δηλοῖ καὶ τὸ νωχελές, ἀπὸ νω στερητικοῦ καὶ τοῦ κέλλω συγκείμενον, τροπῇ τοῦ κ̄ εἰς χ̄.* Prioris derivationis vestigia exstant in Etym. M. 208, 13: *ἢ βουσὶ κεκλόμενος, ὅ ἐστιν ἐγκελευόμενος* et in Etym. Gud. s. v. *βουκόλος* 112, 50: *ἢ βουσὶ κεκλόμενος, ὅ ἐστιν ἐγκελευόμενος παρὰ τὸ κέλλω, κέλλομαι.* Praeterea hoc loco commemoranda sunt ea verba, quae in Etym. M. 502, 5 s. v. *κέλεαι* scripta exstant: *κέλω σημαίνει τὸ π ρ ο σ τ ά σ σ ε ι ν, ἐκ τοῦ κελεύω, κατὰ συγκοπὴν τῆς εὖ διφθόγγου.* Haec quoque verba fortasse Orioni sunt assignanda, praesertim cum altera derivatio illius lexico comprobetur. cf. 83, 17 s. v. *κέλος· ὁ δρομικὸς ἵππος.*[2]) *κέλειν γὰρ τὸ τρέχειν . καὶ ἡ κέλευθος δὲ παρὰ τοῦτο* et 109, 2: *κέλλειν δὲ τὸ ταχέως τρέχειν· ἀφ' οὗ καὶ κέλες, δρομικὸς πῶλος.* Minime neglegendum est in Etym. M. s. v. *κελητίζει* 502, 41 expressis verbis Orionem nominari: *ὁ δὲ Ὠρίων λέγει, ὅτι κέλης λέγεται παρὰ τὸ κέλλειν, ὅ σημαίνει τὸ βαδίζειν καὶ τρέχειν.* Atque Zonaras personatus in lexico p. 1185 haec praebet: *ὁ δὲ Ὠρίων λέγει ὅτι παρὰ τὸ κέλλειν, τὸ τρέχειν.* Quibus locis allatis haec quoque verba optimo iure ad Orionem referri posse iudico in Etym. M. s. v. *βουκόλος* 208, 11: *παρὰ τὸ κέλλω, ὃ σημαίνει ὁ ἅμα τοῖς βουσὶ κέλλων* et s. v. *νωχελής* (de qua infra disputabimus) 608, 33: *κέλλειν δέ ἐστι τὸ ταχέως τρέχειν· ὅθεν καὶ κέλης, ὁ μονόζυξ ἵππος καὶ δρομικός.* cf. Etym. Gud. s. v. *βουκόλοι* p. 112, 37: *ἢ παρὰ τὸ κέλλω, ὃ σημαίνει τὸ πορεύομαι, ὁ ἅμα τοῖς βουσὶ κέλλων.* Maxime autem nostra interest apud Orionem quoque comparandi causa afferri vocem *νωχελής* 109, 1: *τὸ χ̄ ἀντὶ τοῦ κ̄, νωκελής τις ὤν, ὁ μὴ κέλλων. κέλλειν δὲ τὸ ταχέως τρέχειν· ἀφ' οὗ καὶ κέλες, δρομικὸς πῶλος.* Similia inveniuntur in Etym. M. s. v. *νωχελής* 608, 31: *Ὁ νωθρὸς καὶ ἀσθενὴς καὶ δυσκίνητος, κατὰ τροπὴν τοῦ κ̄ εἰς χ̄, νωκελής τις ὤν, ὁ ἐστερημένος τοῦ κέλλειν· κέλλειν δέ ἐστι τὸ*

[1]) cf. Orionem s. v. *Γουνός* 39, 1: *οἷον κύνατα ἀπὸ τοῦ κονεῖν καὶ ἐνεργεῖν.*
[2]) Ceterum censeo in anecdoto pro illo *ἱππεύς*, quod liber manuscriptus praebet, scribendum esse *ἵππος.*

ταχέως τρέχειν · ὅθεν καὶ κέλης ὁ μονόζυξ ἵππος καὶ δρομικός. Eadem fere verba scripta legimus in Etym. Gud. 414, 14 s. v. *νωχελής, ὁ δυσκίνητος καὶ ἀργός, νωκελής τις ὤν · ὁ μὴ κέλλων · κέλλειν δέ ἐστι τὸ ταχέως τρέχειν, ἀφ' οὗ κέλης, ὁ μονώνυξ ἵππος καὶ δρομικός.*[1]) Quae omnia ad Orionem esse referenda apparere censeo. Sed in eis, quae secuntur, in anecdoto Est. Didymi verba scripta videmus, quae ab anecdoti auctore comprobantur. Dicit enim: *ἄριστα δὲ ὁ Δίδυμος*[2]) *εἴρηκεν ἀπὸ τοῦ βοῦς καὶ τοῦ κομέω ∾ κομῶ τὸ ἐπιμελοῦμαι παράγεσθαι, βουκόμος καὶ βουκόλος ὥςπερ καὶ ἱπποκόμος. εἰ δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ κορέω ∾ κορῶ παράξεις, οὐδὲν ἀπεικότως ἐρεῖς βουκόρον λέγων καὶ βουκόλον. ἐν ἑκατέρᾳ γὰρ παραγωγῇ ἀμετάβολον εἰς ἀμετάβολον τρέπεται, οὐκ ἀπᾷδον ὄν.* Conferas velim ea, quae scripta exstant apud Ahrensium p. 6 no. VII B.: *λέγεται δὲ βουκόλος παρὰ τὸ τὰς βόας ἐλαύνειν ἢ παρὰ τὸ τὰς βόας κολούειν ἀτιμαγελώσας ἢ τῶν βοῶν κορεῖν καὶ ἐπιμελεῖσθαι τροπῇ τοῦ ἀμεταβόλου εἰς ἀμετάβολον.* Breviter autem sunt ea dicta, quae invenimus apud Zieglerum p. 2: *εἴρηται δὲ βουκόλος παρὰ τὸ τὰς βόας ἐλαύνειν ἢ ἀπὸ τοῦ τὰς βόας κολούειν ἀτιμαγελώσας.* Sed quamquam ea, quae scripta exstant apud Ahrensium et Zieglerum, non plane congruunt cum anecdoti verbis, tamen ex uno eodemque fonte haec omnia emanasse statuendum esse censeo. Sed videamus, num apud alios quoque auctores eo loco, ubi agitur de voce *βουκόλος*, Didymus commemoretur. Affero Etym. Gud., cuius auctorem ex Orionis lexico hausisse supra demonstravimus, p. 112, 38: *Δίδυμος δὲ παρὰ τὸ κομεῖν εἰρῆσθαι, ἵν' ᾖ βουκόμος ὡς ἱπποκόμος.* Voces autem illas *κομεῖν* et *κορεῖν* idem valere atque *ἐπιμελεῖσθαι* ex hisce exemplis intellegi potest: Etym. M. s. v. *ἱ π π ο κ ό μ ο ς* 475, 2: *Ὅτε δὲ παροξύνεται τὸ ἱπποκόμος, τότε τὸ κομεῖν ἔγκειται καὶ δηλοῖ τὸν ἐ π ι μ ε λ ο ύ μ ε ν ο ν τῶν ἵππων, ἐκ τοῦ ἵππος καὶ τοῦ κομῶ, τὸ θεραπεύω*[3]) et s. v. *Διόςκουροι* 278, 23: *Οἱ τοῦ Διὸς ἐπιμελούμενοι · τὸ γὰρ ἐ π ι μ ε λ ε ῖ σ θ α ι κ ο ρ ε ῖ ν λ έ γ ο υ σ ι ν*, ibid. s. v. *νεωκόρος* 600, 53; *παρὰ τὸ κορῶ, τὸ καθαίρω καὶ ἐπιμελείας ἀξιῶ, καὶ τὸ νεὼς Ἀττικῶς · Ὁ τοῦ νεὼ ἐπιμελούμενος.*[4])

Quibus expositis apparere censeo totam hanc anecdoti doctrinam de voce *βουκόλος* prolatam ex Orione fluxisse. Fortasse Proclo intercedente haec omnia auctoribus Byzantinis sunt tradita.

Sed veniamus ad eum anecdoti locum, ubi de dicendi generibus agitur (III, 6). In priore enim huius paragraphi particula tres illi *χαρακτῆρες ποιήσεως* tractantur, de quibus copiosius disputavimus in

---

[1]) cf. Zonarae lexicon 1412.

[2]) cf. Maur. Schmidtium in Didymi Chalcenteri fragmentis p. 402 no. 5.

[3]) cf. Hesychium s. v. *κομέειν · κομεῖν. ἐπιμελεῖσθαι, θεραπεύειν, ὅθεν καὶ κόμη καὶ ἱπποκόμος.* Suidas sub eadem voce haec praebet: *ἱπποκόμος ὁ τῶν ἵππων ἐπιμελούμενος.* Praeterea cf. Etym. M. s. v. *εἰροκόμος* 303, 54, s. v. *ἐλαιοκομεῖν* 326, 23, s. v. *κόμη* 527, 12.

[4]) cf. Suidam s. v. *κόρη*: *λέγεται δὲ κόρη καὶ κόρος ὁ νεώτατος, ἀπὸ τοῦ κορῶ τὸ ἐπιμελοῦμαι · πολλῆς γὰρ ἐπιμελείας δέονται οἱ νεώτεροι. καὶ ἐπὶ τοῦ ὀφθαλμοῦ ὁμοίως. νεωκόρος δὲ οὐχ ὁ σαρῶν τὸν νεών, ἀλλ' ὁ ἐπιμελούμενος αὐτοῦ.*

priore parte huius dissertationis.[1]) Sed in altera particula afferuntur *χαρακτῆρες λόγου*,[2]) de quibus nunc pauca dicam, praesertim cum ea, quae in anecdoto Est. aetatem tulerunt, mea quidem sententia singularem quendam locum obtineant. Nam tribus hisce dicendi generibus *ἁδρόν, ἰσχνόν, μέσον* enumeratis additur quarto loco illud *ἀνθηρὸν εἶδος*, quod apud alios auctores rarissime invenitur. Loci autem, qui huc spectant, usque ad hunc diem parum feliciter mihi videntur esse tractati. Itaque denuo ad eam quaestionem accedam. Neque vero censeo hac occasione data totam veterum de ratione dicendi doctrinam mihi esse retractandam, id quod fecit Schmidius in musei Rhen. vol. 49 (1894) p. 133 sqq. Quattuor enim *χαρακτῆρες*, qui in anecdoto inveniuntur, praeterea afferuntur in Plutarchi personati libello de vita et poesi Homeri II. c. 72 et 73,[3]) apud Diomedem p. 54 Kaibel. CGF., apud Macrobium in Saturnalibus V, 1, 7., apud Proclum et in Photii bybliotheca p. 318 b 26 sqq. et in scholiis Londin. ad Dionys. Thrac. p. 449, 26 sqq. H.,[4]) denique apud auctorem anonymum G. L. VI. p. 274. Keil. Quo ex fonte haec omnia fluxerint, in eis, quae secuntur, demonstrare conabor. Primo autem loco commemoro temporum ratione habita omnium illorum auctorum primum esse eum, qui de vita et poesi Homeri scripsit. Reliquos enim omnes saeculo p. Chr. n. IV. aut V. fuisse inter omnes constat. Mira autem ratione congruunt ea, quae scripta exstant in anecdoto, cum verbis in Plutarchi, quae fertur, de vita et poesi Homeri commentatione allatis. Scriptum enim legimus:

in anecdoto	de vita et poesi Homeri
τριῶν γὰρ ὄντων τῶν χαρακτήρων τοῦ λόγου, ἃ δὴ καὶ πλάσματα καλοῦσιν, ἁδροῦ μὲν ὄντος, ὃ καὶ τῇ τῶν λόγων καὶ τῇ τῶν νοημάτων κατασκευῇ μεγάλας ἐμφάσεις ἔχει	*Ἐπεὶ δὲ καὶ χαρακτῆρές εἰσι τῶν λόγων τὰ καλούμενα Πλάσματα, ὧν τὸ μὲν ἁδρὸν τὸ δ' ἰσχνὸν τὸ δὲ μέσον λέγεται . . . τὸ μὲν οὖν ἁδρὸν πλάσμα ἐκεῖνό ἐστι τὸ καὶ τῇ τῶν λέξεων καὶ τῇ τῶν νοημάτων κατασκευῇ μεγάλας ἔχον ἐμφάσεις.*
ἰσχνοῦ δέ, ὃ καὶ τῇ ὕλῃ τῶν πραγμάτων καὶ τῇ λέξει τυγχάνει ὂν ταπεινόν,	*ἰσχνὸν δὲ τὸ καὶ τῇ ὕλῃ τῶν πραγμάτων μικρὸν καὶ τῇ λέξει κατεξεσμένον,*

---

[1]) Hoc loco unum affero. Anecdoti enim verba: *ἔστι δὲ δραματικὸν μὲν τὸ μηδαμῇ γε ἐμφαῖνον τὸ πρόσωπον τοῦ ποιητοῦ* comparanda sunt cum eis, quae scripta exstant in hypothesi ad idyll. V. vol. II. p. 15 Ahrens: *δραματικώτερον δέ ἐστι τοῦτο τὸ εἰδύλλιον τοῦ προσώπου τοῦ ποιητοῦ μὴ ἐμφαινομένου.*

[2]) Simili ratione et *λόγου* et *ποιήσεως χαρακτῆρες* una commemorantur apud Proclum in chrestomathia p. 318 b 26 sqq. et in scholiis Londin. ad Dionys. Thrac. p. 449, 21 sq. H., apud Junium Philargyrium III[2] p. 1, 12 sqq. (ed. Thilo-Hagen), apud Fortunatianum p. 126, 1 sqq. rhet. Lat. min. Halm. Neque vero est neglegendum apud duos hos auctores Latinos tria tantummodo dicendi genera inveniri. Praeterea hoc loco commemorandus est auctor ille incertus, cuius verba scripta exstant apud Keilium G. L. VI. p. 274.

[3]) Plutarchi pers. verba praebet Phavorinus in lexico suo s. v. *χαρακτῆρες*.

[4]) cf. Kaibelii prolegomena *περὶ κωμῳδίας* p. 19, quocum minime consentio. cf. infra p. 82.

μέσου δὲ, ὃ καὶ ἑκατέρου μετέχει, τοῦ μὲν ἰσχνότερον, τοῦ δὲ ἁδρότερον,	*μέσον δὲ τὸ ἑκατέρου τούτων μεταξὺ τοῦ μὲν ἰσχνότερον τοῦ δ' ἁδρότερον,*
καὶ τοῦ μὲν ἁδροῦ παράδειγμα Θουκυδίδης, τοῦ δὲ ἰσχνοῦ Λυσίας, τοῦ δὲ μέσου Δημοσθένης.	*ὧν καὶ ἔστι παραδείγματα, Θουκυδίδου μὲν τὸ ἁδρόν, Λυσίου δὲ τὸ ἰσχνόν, Δημοσθένους δὲ τὸ μέσον.*
συμπλέκει δὲ ὅμως αὐτῷ τὸ ἀνθηρὸν τῶν λόγων εἶδος, ὃ δὴ χάριν ὁμοῦ καὶ κάλλος ἔχον τέρπει καὶ ἥδει ὥςπερ ἄνθος τοὺς ἀκροατάς.	*ὅτι δὲ καὶ τὸ ἀνθηρὸν εἶδος*[1]*) τῶν λόγων ἐστὶ πολὺ παρὰ τῷ ποιητῇ, κάλλος ἔχον καὶ χάριν εἰς τὸ τέρπειν καὶ ἡδύνειν ὥςπερ ἄνθος, τί ἄν τις καὶ λέγοι; μεστὴ γάρ ἐστιν ἡ ποίησις τῆς τοιαύτης κατασκευῆς.*

Quae verba ex eodem fonte esse hausta quis est quin intellegat? Fieri quoque poterat, ut auctor Byzantinus ipsum Plutarchi personati librum adhiberet, sed auctore Neoplatonico intercedente hanc de dicendi generibus doctrinam ad illum pervenisse infra demonstrare conabor. Exempla autem ex Homero sumpta, quae in Plutarchi qui fertur libello scripta exstant, propterea omittuntur in anecdoto, quod de poesi bucolica fiunt verba. Iam ad Proclum transeamus, cuius doctrinam et ex Photii verbis, quae scripta exstant in bybliotheca l. s. s., et ex eis, quae praebent scholia in Dionysium Thracem l. s. s., esse restituendam demonstravit Kaibelius in prolegomenis p. 18 sqq. Parum feliciter ille ea comprobat, quae in scholiis ad Dionys. scripta legimus. Quartum enim illud *ἀνθηρόν* genus optimo iure apud Photium addi demonstratur reliquis locis supra allatis.[2]) Sed quaeritur, num Procli doctrinam ex eodem fonte emanasse atque anecdoti verba sit statuendum. Id quod comprobari posse iudico hisce locis comparatis. Verba enim Procli apud Photium tradita *τὸ μὲν ἁδρὸν ἐκπληκτικώτατόν ἐστι καὶ κατεσκευασμένον μάλιστα* meo iudicio sunt referenda ad haec anecdoti: *ὃ καὶ τῇ τῶν λόγων καὶ τῇ τῶν νοημάτων κατασκευῇ μεγάλας ἐμφάσεις ἔχει.* Imprimis conferas velim ea, quae apud Photium scripta exstant de *ἰσχνῷ* genere: *τὸ δὲ ἰσχνὸν τὴν τροπικὴν μὲν καὶ φιλοκατάσκευον σύνθεσιν* ⟨*οὐ*⟩[3]) *μεταδιώκει.*[4]) Huc accedit, quod apud Plutarchum personatum l. s. s. c. 73 scriptum legimus: *μεστὴ γάρ ἐστιν ἡ ποίησις τῆς τοιαύτης κατασκευῆς.* Maxime autem nostra interest illam *κατασκευήν* adamatam esse a Stoicae sectae philosophis, id quod demonstravit Strillerus in

---

[1]) cf. Plutarchum de recta ratione audiendi c. 8 p. 42 A: *οὕτως οὖν δεῖ τὸν φιλότεχνον καὶ καθαρὸν ἀκροατὴν τὰ μὲν ἀνθηρὰ καὶ τρυφερὰ τῶν ὀνομάτων καὶ τῶν πραγμάτων τὰ δραματικὰ καὶ πανηγυρικὰ κηφήνων βοτάνην σοφιστιώντων ἡγούμενον ἐᾶν κτλ.*

[2]) cf. Immischium l. s. s. p. 257 adn. 1.

[3]) cf. Immischium l. s. s. p. 257 adn. 1.

[4]) In eis, quae secuntur, Photius haec praebet verba: *ἐξ ἀνειμένων δὲ μᾶλλον συνήρτηται.* Quibuscum verbis conferenda sunt ea, quae habet Eustathius ad Dionysium Perieget. p. 317, 25. Bernhardy: *Κρημνοποιός τε καὶ στόμφαξ παρὰ τοῖς τραγικοῖς Αἰσχύλος εἴρηται, ἐπεὶ μὴ κέχρηται καθαρᾷ καὶ ἀνειμένῃ τῇ λέξει.* cf. Usenerum in relat. acad. Bavar. ord. philos.-philol. et hist. 1892 p. 608. adn.

dissertatione, quae inscribitur de Stoicorum studiis rhetoricis p. 54 (in comment. philol. Vratisl. vol. I). Item Stoicorum doctrinam sapere videtur illud *ἐκπληκτικώτατον*, quod invenitur in Procli chrestomathia.[1]) De medio dicendi genere apud Photium haec exstant verba: *τὸ δὲ μέσον καὶ τοὔνομα μὲν δηλοῖ ὅτι μέσον ἐστὶν ἀμφοῖν*, in anecdoto: *μέσον δέ, ὃ καὶ ἑκατέρου μετέχει.* Huc accedit, id quod minime neglegendum est, quod eisdem vocabulis dicendi genera significantur et apud Proclum et in anecdoto atque apud Plutarchum personatum. Atque etiam illud *πλάσμα*[2]) apud tres illos auctores eodem sensu adhibetur. Praeterea est considerandum apud Plutarchum personatum l. s. s. c. 73 haec inveniri verba: *ἡ μὲν δὴ τῆς φράσεως ἰδέα τοιαύτην ἔχει ποικιλίαν* et c. 172 *καὶ ταύτας τὰς ἰδέας τῶν λόγων Ὅμηρος παρίστησιν αὐτός, ἐν τῇ ποιήσει δείξας ἁπάσῃ.* Quibuscum verbis conferas velim ea, quae praebet Proclus in chrestomathia apud Photium p. 318 b 36: *οἱ δὲ τῶν εἰρημένων ἀποσφαλέντες ἰδεῶν.* His quoque locis num Stoica[3]) subsit doctrina, diiudicare non ausim. Quibus demonstratis apparere iudico Procli quoque doctrinam ex eo fonte esse haustam, ex quo anecdoti et Plutarchi personati verba emanarunt. Hoc autem apparet, tres illos auctores Graecos, de quibus adhuc egimus, illud *ἀνθηρὸν εἶδος* non habere in characterum numero, sed eis subiungere.

Nunc ad Romanos transeamus. Primo autem loco Diomedes est tractandus, qui haec habet verba: ‚Poematos *χαρακτῆρες* sunt quattuor: *μακρός, βραχύς, μέσος, ἀνθηρός.*' Quae verba primo obtutu minime videntur cohaerere cum eis, quae supra sunt exposita. Sed opportune accidit, quod a Diomede *χαρακτὴρ ἀνθηρός* hoc modo explicatur: ‚*ἀνθηρός* ut in VII, ubi amoenitatem luci ac fluminis describendo facit narrationem.' Quae verba cohaerere cum eis, quae apud Proclum scripta legimus, cognovit Usenerus l. s. s. p. 607 adn. 3. Apud Photium enim p. 318 b. 35 B. haec exstant verba: *ἁρμόζει δὲ* (scil. *ἀνθηρὸς χαρακτήρ*) *τοπογραφίαις καὶ λειμώνων ἢ ἀλσῶν ἐκφράσεσιν* et in schol. Londin. ad Dionys. Thr. p. 449, 31 H.: *ἀνθηρὸν δὲ λέγεται, ὅτι ἁρμόζει μάλιστα πρὸς ἀπαγγελίαν λειμώνων καὶ ἀνθέων.* Praeterea apud Diomedem *βραχὺς χαρακτήρ* hoc modo tractatur: ‚*βραχύς* est ut in V, ubi de Ganymede strictim narrat'. Quibus cum verbis confer, quae scripta legimus in schol. Londin. ad Dionys. Thrac. p. 449, 28: *ἰσχνὸν τὸ συνεσταλμένον.* In Plutarchi autem qui fertur libello de vita et poesi Homeri c. 72. *ἰσχνὸν πλάσμα* hac ratione definitur: *ἰσχνὸν δὲ τὸ καὶ τῇ ὕλῃ τῶν πραγμάτων μικρόν.* Itaque non sunt comprobanda, quae Kaibelius l. s. s. p. 19 de Diomede dicit. Exempla autem ab eo ut ab homine Romano ex Vergilio, non ex Homero afferri minime miror. Quae cum ita sint, optimo iure existimare mihi videor Diomedis verba fluxisse e prooemio in Vergilium

---

[1]) cf. Strillerum l. s. s. p. 59 et Lehnertium de scholiis ad Homerum rhetor. p. 101.

[2]) cf. Schmidium l. s. s. p. 135.

[3]) cf. Schraderum in Hermae vol. XXXVII (1902) p. 572.

conscripto.[1]) Veniamus nunc ad Macrobium, qui in Saturnalibus V, 1, 7 haec dicit: ‚Quattuor sunt, inquit Eusebius, genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Sallustius regnat: siccum, quod Frontoni adscribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.' Quibus ex verbis pauca respondent loco illi Diomedis. Illud *βραχύς* ad Macrobii breve genus dicendi, illud *ἀνθηρόν* ad Macrobii pingue atque floridum esse referendum quis est quin intellegat? Sed considerandum est, qui sit conexus sententiarum apud Macrobium. Initio enim libri V. scriptum legimus: ‚Post haec cum paulisper Eusebius quievisset, omnes inter se consono murmure Virgilium non minus oratorem quam poetam habendum pronuntiabant, in quo et tanta orandi disciplina et tam diligens observatio rhetoricae artis ostenderetur.' Itaque intellegimus de Vergilii arte rhetorica apud Macrobium fieri verba simili modo atque apud Diomedem. § 3. haec verba scripta legimus: ‚Video, quid agas, inquit Eusebius, quid intendas, quo me trahere coneris: eo scilicet, quo minime volo, ad comparationem Maronis et Tullii.' Summi autem momenti ea verba esse mihi videntur, quae Macrobius § 5 profert: ‚Oratorum autem non simplex nec una natura est: sed hic fluit et redundat, contra ille breviter et circumcise dicere adfectat: tenuis quidam et siccus et sobrius amat quandam dicendi frugalitatem, alius pingui et luculenta et florida oratione lascivit.' Habemus igitur hoc loco et floridum et tenue genus dicendi, quod in anecdoto *ταπεινόν* vocatur. Pergit autem Macrobius: ‚In qua tanta omnium dissimilitudine unus omnino Virgilius invenitur, qui eloquentiam ex omni genere conflaverit. Respondit Avienus: Apertius vellem me has diversitates sub personarum exemplis doceres.' Deinceps secuntur Eusebii verba supra allata, qui paragrapho septima exeunte haec dicit: ‚Sed apud unum Maronem haec quattuor genera reperies.' In eis autem, quae secuntur, exempla afferuntur ex Vergilio hausta. Quibus omnibus locis tractatis demonstravisse mihi videor Macrobium quattuor illa dicendi genera eodem consilio attulisse atque Diomedem et tres illos auctores Graecos eiusque doctrinam e Vergilii interprete [2]) esse haustam, qui ex Graeco aliquo auctore pendet. Auctorem autem anonymum cum quinque scriptoribus adhuc commemoratis esse comparandum vel ex hisce illius verbis intellegi potest (G. L. VI, p. 274): ‚Poematum versificationes laudantur gravis et plena. aequalis et temperata, subtilis et circumspecta, florida et venusta, quibus contrariae sunt tumida et dissoluta, exilis et fucosa.' Hoc enim loco sic se res habet, ut verba illa gravis et plena ad Procli genus *ἁδρόν* sint referenda, aequalis et temperata ad *μέσον,* subtilis et circumspecta ad *ἰσχνόν,* florida et venusta ad *ἀνθηρόν.* Eodem autem modo atque apud Proclum virtutibus opponuntur vitia, quae eis respondent, quae apud Photium legi-

---

[1]) cf. Usenerum l. s. s. p. 607. et Buchholzium in annal. Fleckeisen. vol. 155. (1897) p. 135.

[2]) cf. Wissowam, de Macrobii Saturnal. fontibus, Vratislaviae 1880 p. 45.

mus: tumidum genus refero ad *ἐπηρμένον*, dissolutum ad *ἐκλελυμένον*, exile ad *ταπεινόν*. Illud ‚fucosa' autem generis floridi vitium esse mihi videtur.[1]) Apud Romanos, quorum doctrinam tractavimus, floridum genus in characterum numero quarto loco habetur.

Sed ut summam huius disputationis faciamus, sex illos auctores ad unum eundemque fontem Graecum esse referendos est verisimile. In quo de Homeri arte rhetorica actum esse vel inde apparet, quod in Plutarchi qui fertur libello c. 72 haec scripta legimus: *Ἐπεὶ δὲ καὶ χαρακτῆρές εἰσι τῶν λόγων τὰ καλούμενα Πλάσματα, ὧν τὸ μὲν ἁδρόν, τὸ δ' ἰσχνόν, τὸ δὲ μέσον λέγεται, ἴδωμεν εἰ πάντα ἐστὶ παρ' Ὁμήρῳ, τῶν μὲν μετ' αὐτὸν ποιητῶν ἢ λογογράφων ἐπιτηδευσάντων ἕν τι τούτων ἑκάστου.* Itaque equidem nego hanc doctrinam una cum rhetorum de generibus dicendi doctrina ita esse confundendam, ut fecit Schmidius l. s. s.[2]) Eum autem, qui primus haec quattuor genera dicendi constituit, Homero operam navavisse censeo eiusque opus ad artem poeticam pertinere. Minime ei in animo erat de generibus dicendi ipsis scribere, quasi esset rhetor.[3]) Sed quaeritur, num quadam cum probabilitate auctor ille nominari possit. Hoc autem loco dicam Stoicae sectae philosophos Homeri carminum arti rhetoricae plerumque studuisse, id quod demonstravit Lehnertius de scholiis ad Homerum rhetoricis p. 97 sqq. Huc accedit, quod Stoicae doctrinae vestigia supra tractavimus. Sed ad totam hanc de florido dicendi genere quaestionem absolvendam nobis erit explicandum, quanam aetate doctrina illa exsistere potuerit.

Primo loco afferenda sunt auctoris ad Herennium verba IV, 8, 11: ‚Sunt igitur tria genera, quae genera nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur: unam gravem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vòcamus. Gravis est, quae constat ex verborum gravium levi et ornata constructione. Mediocris est, quae constat ex humiliore neque tamen ex infuma et pervulgatissima verborum dignitate. Attenuata est, quae demissa est usque ad usitatissimam puri consuetudinem sermonis' et Varronis verba, quae scripta legimus apud Gellium VI, 14: ‚Et in carmine et in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quae Graeci *χαρακτῆρας* vocant nominaque eis fecerunt *ἁδρόν, ἰσχνόν, μέσον*. Nos quoque, quem primum posuimus, 'uberem' vocamus, secundum 'gracilem', tertium 'mediocrem''. Quae verba eorum sunt simillima, quae inveniuntur apud Proclum. Id quod eis quae secuntur comprobatur. Nam ut apud Proclum sic apud auctorem ad Herenn. et apud Varronem singulis orationis virtutibus opponuntur vitia. Ille enim dicit IV, 10, 15: ‚Est autem cavendum, ne, dum haec genera consectemur, in finituma et propinqua vitia veniamus. Nam gravi figurae, quae laudanda est, propinqua est ea, quae fugienda. quae

---

[1]) cf. Gellium N. A. VI, 14. 11: ‚unumquodque autem genus, ut diximus, cum caste pudiceque ornatur, fit illustrius, cum f u c a t u r atque praelinitur, fit praestigiosum.' cf. Schmidium l. s. s. p. 138.

[2]) Ceterum Schmidius Diomedis rationem habere plane neglexit.

[3]) cf. Immischium l. s. s. p. 254.

recte videbitur appellari, si sufflata nominabitur. Nam ita ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur saepe, item gravis oratio saepe inperitis videtur ea, quae turget et inflata est, cum aut novis aut priscis verbis aut duriter aliunde translatis aut gravioribus, quam res postulat, aliquid dicitur'. IV, 11, 16: „Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si pervenire eo non potuerunt, errantes perveniunt ad confinii genus eius generis, quod appellamus dissolutum, quod est sine nervis et articulis, ut hoc modo appellem 'fluctuans' eo quod fluctuat huc et illuc nec potest confirmate neque viriliter sese expedire. Qui non possunt in illa facetissima verborum attenuatione commode versari, veniunt ad aridum et exangue genus orationis, quod non alienum est exile nominari'. Atque Gellius l. s. s. haec praebet: „His singulis orationis virtutibus vitia agnata sunt pari numero, quae earum modum et habitum simulacris falsis ementiuntur. Sic plerumque sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, squalentes et ieiunidici pro gracilibus, incerti et ambigui pro mediocribus'. Tria autem elocutionis genera Theophrastum primum distinxisse apparet ex eis, quae exposuit Rabeus de Theophrasti libris *περὶ λέξεως* (Bonnae 1890). Itaque non probo Schmidium hanc tripartitionem referre ad Stoicos.[1]) Aliter autem esse iudicandum de orationis vitiis demonstravit Rabeus l. s. s. p. 26. sq. Quae fortasse a Stoicis constituta sunt, praesertim cum inveniantur apud Fortunatianum, quem pendere ex Stoicorum doctrina comprobatur Strilleri dissertatione supra commemorata. Neque vero illud *ἀνθηρόν* apud auctorem ad Herennium occurrit. Primo autem a. Chr. n. saeculo illius floridi characteris prima inveniri vestigia atque ea apud Varronem optimo iure dicit Schmidius l. s. s. p. 143. (cf. p. 138). Illud floridum medio dicendi generi tribuitur. Subiungam locum Tullianum, quem debeo Marxio. Dicit enim Cicero ad Atticum II, 6, 1: „et hercule sunt res difficiles ad explicandum et *ὁμοειδεῖς* nec tam possunt *ἀνθηρογραφεῖσθαι*, quam videbantur'. In Bruto 82, 285 autem de Demetrio Phalereo haec dicit: „At est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias: natura quaedam aut voluntas ita dicendi fuit'. Eandem doctrinam apud Quintilianum quoque inveniri non est mirandum, praesertim cum passim aliorum presserit vestigia.[2]) Sed Graeca vocabula ab eo commemorantur, quae meo quidem iudicio minime sunt neglegenda. Dicit enim Quintilianus XII, 10, 58.: „Altera est divisio, quae in tris partis et ipsa discedit, qua discerni posse etiam recte dicendi genera inter se videntur. Namque unum subtile, quod *ἰσχνόν* vocant, alterum

---

[1]) cf. Lehnertium de scholiis ad Homerum rhetor. p. 102.

[2]) Quintilianus II, 5, 18. haec dicit: „alii floridius genus, ut ad alenda primarum aetatium ingenia magis accommodatum'. Simili ratione iudicat Dionysius Halic. de Isocrate c. 13. p. 73. ed. Us.-Raderm.: *ἐξ αὐτῆς γὰρ ἔσται τῆς Ἰσοκράτους λέξεως τεθείσης καταφανὴς ὅ τε τῶν περιόδων ῥυθμὸς ἐκ παντὸς διώκων τὸ γλαφυρὸν καὶ τῶν σχημάτων τὸ μειρακιῶδες περὶ τὰς ἀντιθέσεις καὶ παρισώσεις καὶ παρομοιώσεις κατατριβόμενον. καὶ οὐ τὸ γένος μέμφομαι τῶν σχημάτων (πολλοὶ γὰρ αὐτοῖς ἐχρήσαντο καὶ συγγραφεῖς καὶ ῥήτορες, ἀνθίσαι βουλόμενοι τὴν λέξιν), ἀλλὰ τὸν πλεονασμόν.* cf. praeterea eundem de Lysia c. 13. p. 22, 10. et de Demosthene c. 18. p. 166, 26.

grande atque robustum, quod *ἁδρόν* dicunt, constituunt, tertium alii medium ex duobus, alii floridum (namque id *ἀνθηρόν* appellant) addiderunt. quorum tamen ea fere ratio est, ut primum docendi, secundum movendi, tertium illud, utrocumque est nomine, delectandi sive, ut alii dicunt, conciliandi praestare videatur officium . . . medius hic modus et translationibus crebrior et figuris erit iucundior, egressionibus amoenus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen ut amnis lucidus quidem, sed virentibus utrimque ripis inumbratus'. Quintiliani igitur temporibus medium dicendi genus *ἀνθηρόν* vocabatur. Atque etiam genera *ἁδρόν* et *ἰσχνόν* illa aetate inveniebantur, i. e. primo p. Chr. n. saeculo.

Sed Quintiliani verba digna esse mihi videntur, quae accuratius tractemus. Dicit enim de tertio genere: 'tertium illud, utrocunque est nomine, delectandi sive, ut alii dicunt, conciliandi praestare videatur officium.' Quibus ex verbis intellegimus duo officia tertio dicendi generi tribui. Nam si rem accuratius spectamus, duos illud tertium amplectitur characteras. Parum feliciter[1]) apud Quintilianum in unum dicendi genus sunt redacti, id quod fortasse eius auctori crimini est dandum. Illud enim 'd e l e c t a n d i' ad *ἀνθηρόν* genus esse referendum apparet ex eis, quae scripta legimus apud Plutarchum personatum l. s. s. c. 73: *κάλλος ἔχον καὶ χάριν εἰς τὸ τέρπειν καὶ ἡδύνειν ὥσπερ ἄνθος*. In anecdoto Est. haec inveniuntur: *ὁ δὴ χάριν ὁμοῦ καὶ κάλλος ἔχον τέρπει καὶ ἥδει ὥσπερ ἄνθος τοὺς ἀκροατάς*.[2]) Praeterea censeo rationem quandam inter Quintiliani verba supra allata et Varronis verba apud Gellium l. s. s. tradita et Plutarchi personati caput 172 intercedere. Dicit enim Quintilianus de subtili dicendi genere: 'primum docendi' et infra (XII, 10, 64): 'nam et Homerus b r e v e m quidem cum iucunditate et propriam (id est enim non deerrare verbis) et carentem supervacuis eloquentiam Menelao dedit, quae sunt virtutes generis illius primi', Varro 'subtile' et cohibitum genus ab Homero in Menelao esse traditum iudicat, de quo Plutarchus personatus haec profert: *τὸν δὲ Μενέλαον βραχυλόγον καὶ εὔχαριν καὶ τοῦ προκειμένου τυγχάνοντα*. Grandis dicendi generis officium Quintiliani iudicio est 'movendi'. Itaque de Ulixe l. s. s. iudicat hac ratione: 'summam expressurus in Ulixe facundiam, et magnitudinem illi vocis et vim orationis nivibus hibernis[3]) copia verborum atque impetu parem tribuit.' Hoc genus item a Varrone tribuitur Ulixi hisce verbis: 'magnificum in Ulixe et ubertum'. Atque Plutarchus personatus eidem assignavit, cum diceret: *τὸν δ' Ὀδυσσέα πολλῇ καὶ πυκνῇ τῇ δεινότητι τῶν λόγων κεχρημένον*. Medium genus Quintiliano conciliandi

---

[1]) Aliter res se habet apud Fortunatianum saec. IV. p. 126. Halm.: '*Ἁδρόν* uniforme est? non; nam est aut *αὐστηρὸν* aut *ἀνθηρόν*. Ceterum Fortunatianus quoque tria dicendi genera affert: *ἁδρόν, ἰσχνόν, μέσον*.

[2]) Conferas velim etiam Sopatrum apud Walzium vol. VIII. p. 56, 19: *κεράσας δὲ τὸν ἀγῶνα τοῖς ἀγωνικοῖς καὶ ἀνθηροῖς καλουμένοις κοήμασιν εὐφρανεῖς μὲν ἐπιπολὺ τοὺς ἀκροατὰς τοῖς μελετηρίοις καὶ ἁπλοῖς χρώμενος*.

[3]) cf. Iliadem Γ 222.

praestare videtur officium, quam fuisse Nestoris virtutem dicit l. s. s.: ‚ex ore Nestoris dixit dulciorem melle profluere sermonem, qua delectatione nihil fingi maius potest.' Varro mixtum moderatumque Nestori attribuit. Idem fecit Plutarchus personatus, qui dicit: *τὸν μὲν γὰρ Νέστορα ἡδὺν καὶ προσηνῆ τοῖς ἀκούουσιν εἰσάγει.* Totam autem hanc doctrinam esse Stoicam vidit Lehnertius l. s. s. p. 101 sqq.[1]) Simili ratione iudicare videtur Schraderus l. s. s. p. 558 sq. et p. 575 adn. 1. In eis autem, quae supra exposui, demonstravisse mihi videor secundum Stoicorum doctrinam arte cohaerere tria illa dicendi genera *ἁδρός, ἰσχνός, μέσος* cum tota singulorum hominum ratione dicendi. Neque vero est dubitandum, quin tria elocutionis genera Stoici debuerint Peripateticis.

Restat, ut de Demetrii *περὶ ἑρμηνείας* libello pauca proferam. Plerique viri docti eorum sententiam comprobare videntur, qui demonstrabant eum aut primo p. Chr. n. saeculo exeunte aut altero ineunte esse confectum. Ille § 36 quattuor *χαρακτῆρας* commemorat: *Εἰσὶ δὲ τέτταρες οἱ ἁπλοῖ χαρακτῆρες, ἰσχνός, μεγαλοπρεπής , γλαφυρός , δεινός.* Dicit autem Schmidius illud *γλαφυρός* idem valere atque *ἀνθηρός*. Ad hanc sententiam comprobandam affert Dionysii Halic. de compositione verborum lib. c. 23, ubi haec verba inveniuntur: *ἡ δὲ γλαφυρὰ καὶ ἀνθηρὰ σύνθεσις, ἣν δευτέραν ἐθέμην τῇ τάξει, χαρακτῆρα τοιόνδε ἔχει.* Qui locus minime quadrat ad elocutionis genera inlustranda. Nam hoc loco de compositione, non de dicendi generibus verba fiunt. Conferas velim, quae hac de re dicit Rabeus l. s. s. p. 10 adn. 1 et p. 12 adn. 1: ‚Operam perdunt, qui putent singula *λέξεως* genera respondere generibus *ἁρμονίας* . . . obstat etiam differentia in natura posita: quae *ἁρμονίας χαρακτῆρα* efficiunt, arte sunt elaborata, quae *λέξεως*, ea in verborum natura et vi versantur. non utique ex forma exteriore, quod fit in compositione, sed ex significatione et sensu verborum sententiarumque eveniunt. Demetrio, qui responsionem quaesivit, quam non successerit res, infra videbimus.' Apud Byzantinos auctores *γλαφυρόν* idem valuisse atque *ἀνθηρόν* concludo ex hisce verbis, quae inveniuntur in Eustathii epistula ad Dionysium Perieget. p. 79, 15 sqq. Bernhardy: *Ἔστι δὲ ὁ Διονύσιος οὗτος κατὰ τὴν τῶν παλαιῶν θεωρίαν τοῖς πλάσμασι γλαφυρός, μεταδιώκων τὸ ἀνθηρόν,*[2]) *οἷά τις γραφεὺς ἄριστος, καὶ ἀναλεγόμενος ἀντὶ μὲν συμμετρίας, φασί, γραφικῆς τὰ τῶν ὀνομάτων εὐσύνθετα· ἀντὶ δὲ χρωμάτων τὰς ἀνθηροτέρας τῶν λέξεων.* Quae sententia confirmari mihi videtur eis verbis auctoris Byzantini, quae scripta exstant in Crameri Anecdotis Graecis Oxon. vol. III p. 158, 24 (*ἐπιστολαὶ ἀνεπιγράφου τινὸς σοφωτάτου τὰ μάλιστα*: cf. Crameri monitum lectori p. II): *φαντάζομαί σε, καὶ τὸν*

---

1) cf. Strillerum l. s. s. p. 11 adn. 2.

2) cf. Ruehlium in mus. Rhen. vol. XXIX (1874) p. 82, 20: *γλαφυρὸς δὲ ὢν* (de Dionysio Perieg. verba fiunt) *τῷ πλάσματι τῶν ποιημάτων οὐχ ἥκιστα μεταδιώκει τὸ ἀνθηρόν.* cf. etiam schol. ad Iliad. *Γ* 213: *παρατρέχων τὰ πολλὰ καὶ τὰ καίρια μόνον λέγων· οἱ γὰρ νέοι, ἀπειρότεροι τοῦ τὰ πλείονα καὶ συμφέροντα λέγειν ὄντες, τὸ ἀνθηρὸν μόνον καὶ χαρίεν διώκουσιν.*

χαρακτῆρα τοῦ λόγου σκοπούμενον, εἰ γλαφυρός ἐστιν ἢ ἁδρὸς ἢ ξηρὸς ἢ τῆς ἰσχνῆς μετέσχηκε φύσεως· εἰ κέκραται ὅλως, ἢ καὶ εὐφυῶς κέκραται, ἢ μουσικώτατα τὴν κρᾶσιν ἐκτήσατο· σὺ μὲν βούλει τἀναντία πάντα κεράννυσθαι τεχνικῶς, καὶ ὡς παρὰ Πλάτωνα δημιουργός, εἰς ἕνα κρατῆρα συμμίγνυσθαι οὐσίαν· ταυτότητα, ἑτερότητα, κίνησιν, στάσιν. Praeterea illud ξηρός comparandum est cum sicco dicendi genere, quod commemorat Macrobius in Sat. V, 1, 7. Attulit Schmidius ad sententiam suam confirmandam locum, quem scriptum legimus in Syriani quae fertur[1]) in Hermog. περὶ ἰδεῶν praefatione p. 99, 18 Rabe: ὧν εἷς ἐστιν ὁ Διονύσιος· οὗτος γὰρ τρεῖς εἶναι χαρακτῆράς φησι, τὸν ἰσχνὸν τὸν μέσον τὸν ἁδρόν· ὁ δὲ Ἵππαρχος προστίθησι τόν τε γραφικὸν καὶ τὸν ἀνθηρόν· ὁ δὲ Δημήτριος ἐκβάλλει τὸν γραφικὸν τοῖς τέτρασιν ἀρεσκόμενος. Quae verba Schmidius l. s. s. p. 143 ad auctorem libelli περὶ ἑρμηνείας refert. Quo iure hoc fecerit, non intellego. Dionysius a Syriano personato commemoratus fortasse est Halicarnaseus ille praeclarissimus. Hoc si verum est, Hipparchum post illum fuisse est statuendum. Neque vero dici potest, quisnam fuerit Demetrius. Hoc autem mea quidem sententia constat, de auctore περὶ ἑρμηνείας minime esse cogitandum. Nam male illud accidit, quod Schmidius δεινόν a Demetrio περὶ ἑρμηνείας commemoratum idem esse dicit atque Macrobii breve dicendi genus. Eodem modo dubito, sitne auctor περὶ ἑρμηνείας is Demetrius, de quo Joannes Sicel. apud Walzium vol. VI p. 71 haec dicit: ἀλλὰ τούτων τῇδε ἐχόντων καὶ τοῖς τρισὶ συμπεριορισθέντων τῶν χαρακτήρων εἰ καὶ μάλιστα Δημήτριος ἐπεισάγει τὸν ἀνθηρὸν ὄντα. Quae cum ita sint, ex Demetrii περὶ ἑρμηνείας libello nihil lucramur ad floridi dicendi generis historiam adumbrandam.

Sed aliud est considerandum. Genus enim floridum apud Proclum hoc modo describitur: ἁρμόζει δὲ τοπογραφίαις καὶ λειμώνων ἢ ἀλσῶν ἐκφράσεσιν et ἀνθηρὸν δὲ λέγεται, ὅτι ἁρμόζει μάλιστα πρὸς ἀπαγγελίαν λειμώνων καὶ ἀνθέων. ἐκφράσεις autem saeculo p. Chr. n. primo exeunte et altero ineunte imprimis sunt adamatae. Cf. ea, quae Schmidius l. s. s. p. 159 dicit: ‚Eine so bedeutende Rolle, daß man in stilistischen Erörterungen auf sie Rücksicht zu nehmen veranlaßt war, spielt die ἔκφρασις doch erst seit Ende des 1. Jahrh. n. Chr. Dion Chrysostomos ist, so viel wir wissen, der erste, welcher eine ἔκφρασις des Tempetals als gesonderte Schrift herausgegeben hat. Seit Beginn des 2. Jahrh. n. Chr. erscheint die ἔκφρασις regelmäßig in den Progymnasmen.' Veluti scriptum legimus in eo Hermogenis progymnasmatum capite, quod inscribitur περὶ ἐκφράσεως rhet. Gr. vol. II. p. 16, 35 Sp.: ἂν ἀνθηρὸν τὸ πρᾶγμα, ἔστω καὶ ἡ λέξις τοιαύτη, ἂν αὐχμηρὸν τὸ πρᾶγμα, ἔστω καὶ ἡ λέξις παραπλησία. Si secundum ea, quae adhuc demon-

---

[1]) cf. Rabeum ed. praef. p. VI, cuius sententiam comprobat Hammerus in Bursiani relationibus ann. vol. 83 p. 146, Haeberlinus in ephemer. philol. class. 1893, 346, Blassius in litt. ephemer. centr. 1893, 921. Fuhrius hanc praefationem attribuit Phoebammoni. cf. Brinkmannum in mus. Rhen. vol. LXI (1906) p. 117.

stravimus, illius floridi dicendi generis originem primo p. Chr. n. saeculo esse attribuendam dicemus, mea quidem sententia a vero non aberrabimus.

Sed redeamus ad ea, quae supra exposuimus. Vidimus enim floridum genus imprimis esse adamatum ab auctore aliquo, qui Homeri arti rhetoricae operam navabat, ex cuius doctrina hauserunt auctores et Graeci et Romani. Ex eis autem, quae demonstravimus, apparere censeo illum fuisse Stoicae sectae philosophum. Sed si quaerimus, quisnam fortasse Graecorum trium auctor communis fuerit, equidem neminem alium nominare possum nisi Telephum Pergamenum, de quo nuperrime egit Hermannus Schraderus in Hermae vol. 37 (1902) p. 530 sqq. (cf. imprimis p. 561). Is autem ex vetustioribus Stoicorum pendet libris. Qui mihi videntur esse veriti florido dicendi generi quartum locum attribuere iuxta tria genera Theophrastea. Dicit enim Plutarchus personatus l. s. s. c. 73: *Ὅτι δὲ καὶ τὸ ἀνθηρὸν εἶδος τῶν λόγων ἐστὶ πολὺ παρὰ τῷ ποιητῇ κ.τ.λ.* Hoc loco illud *εἶδος* est premendum; tria enim genera *πλάσματα* vocantur. In anecdoto Est. simili ratione scriptum legimus: *συμπλέκει δὲ ὅμως αὐτῷ τὸ ἀνθηρὸν τῶν λόγων εἶδος.* Huc accedit, quod Proclus in chrestomathia p. 318 b 33 de florido genere haec praebet verba: *ἀνθηρὸν δὲ κατ' ἰδίαν οὐκ ἔστι πλάσμα.* Contra tres illi auctores Romani, qui mea quidem sententia ipsi quoque hauserunt ex doctrina Stoica, quartum dicendi genus floridum constituerunt.

Sed cum supra exposuerimus eam paragraphum, ubi de voce *βουκόλος* agitur, esse referendam ad Orionis Neoplatonici doctrinam eamque a Proclo Neoplatonico traditam esse Byzantinis, magna cum probabilitatis specie dici posse iudico eodem intercedente doctrinam in anecdoto de dicendi generibus prolatam ad Byzantinos esse translatam. Nam Proclus aliis quoque locis dicendi genera eisdem vocabulis significat. cf. hac de re Immischium l. s. s. p. 254. Scriptum enim legimus in Procli commentario ad Timaeum 20 A vol. I. p. 62. Diehl.: *ἤδη γὰρ καὶ τῶν πρεσβυτέρων τινὲς εἰρήκασιν, ὅτι τὸ ἐγκωμιαστικὸν*[1] *εἶδος ἁδρόν ἐστι καὶ γαῦρον καὶ μεγαλοπρεπές, ὁ δὲ Σωκρατικὸς χαρακτὴρ τῶν λόγων ἰσχνὸς καὶ ἀκριβὴς καὶ διαλεκτικός* et 20 E: *τὸ γὰρ ἁδρὸν καὶ μεγαλοπρεπὲς τῆς ἑρμηνείας οἱ χρησμοὶ διαφερόντως ἔχουσι.* Idem dicit in commentario ad Platonis rem publicam vol. II. p. 7, 24. Kroll.: *ὁ δὲ χαρακτὴρ τοῦ λόγου λίαν ἐστὶν ὑψηλός, πρέπων καὶ ταῖς Μούσαις ταῖς χρησμῳδούσαις τὴν λύσιν καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασι κοσμικοῖς οὖσιν. διὸ καὶ αὐτὸς σαφῶς εἶπεν ὑψηλολογούμενος ἐρεῖν* [p. 545 e], *ἐνδεικνύμενος ὅτι μέτεισιν ἀπὸ τοῦ μέσου τούτου πρέποντος ἠθικοῖς λόγοις ἐπὶ τὸν ἁδρὸν οἰκεῖον ὄντα τοῖς ῥηθησομένοις. ἡ δ' ἰδέα τοῦ παντὸς λόγου σεμνότης ἐστὶν προσήκουσα καὶ τοῖς πράγμασι (σεμνὰ γὰρ καὶ τὰ περὶ τοῦ παντὸς καὶ τὰ περὶ τῶν ψυχῶν) καὶ ταῖς θεαῖς. καὶ τὸ ἀπόκρυφον γοῦν καὶ αἰνιγματῶδες τῆς σεμνότητος ἴδιον· οὐ γὰρ ἐθέλει τὸ σεμνὸν*

---

[1]) Videturne hoc loco subesse Stoicorum doctrina? cf. Strillerum l. s. s. p. 31.

πρόχειρον εἶναι τοῖς πολλοῖς ὥςτε τῶν μὲν τριῶν χαρακτήρων ὁ ἁδρός, τῶν δὲ ἑπτὰ ἰδεῶν τὸ μέγεθος ἥρμοσεν τῷ λόγῳ· τὸ γὰρ σεμνὸν ὑπὸ τὸ μέγεθός ἐστιν. Quibus ex verbis intelleximus hanc Procli doctrinam arte cohaerere cum ea, quae invenitur in chrestomathia et in anecdoto Estensi. Praeterea vidimus illum novam Hermogenis de ratione dicendi doctrinam novisse, in chrestomathia autem ex vetustioribus fontibus cum hauserit, non habebat, quod novae illius doctrinae rationem haberet. Itaque Schmidius hac de re l. s. s. p. 160. male iudicavit. cf. Immischium l. s. s. p. 254. Hoc autem loco commemoranda sunt ea, quae in prolegomenis Platonis philosophiae c. 17. vol. VI. p. 211 H. scripta legimus: *τῷ δ' εἴδει ἀναλογεῖ ὁ χαρακτήρ· οὗτος δ' ἢ ἁδρὸς ἢ ἰσχνὸς ἢ μικτός, καὶ εἰ μικτός, ἢ κατὰ κρᾶσιν ἢ κατὰ παράθεσιν,* quae verba ex Neoplatonicorum doctrina emanarunt. Atque etiam minime est neglegendum in Albini isag. in Plat. philos. c. 2. vol. VI, 148 H. *πλάσμα* eodem sensu adhiberi atque in anecdoto, apud Proclum, apud Plutarchum personatum. Quibus omnibus locis *πλάσμα* significat genus dicendi. cf. Schmidium l. s. s. p. 135.[1])

Quibus expositis e re esse mihi videtur pauca addere, quae de dicendi generibus inveniuntur in aliis libris ad artem poeticam spectantibus. Atque primo loco eos auctores commemorabo, qui tria illa genera *ἁδρόν, ἰσχνόν, μέσον* praebent. Qua in re singularem quendam locum obtinent Vergilii scholiastae, quo in numero omnes fere, qui illius bucolica sunt interpretati, tria illa genera commemorant. Veluti apud Probum in commentario in Verg. Buc. et Georg. vol. III, 2 p. 327 haec exstant verba: ‚Sunt quaedam propria, heroico carmini sublimia, sed in bucolico humilia, quae apte divisisse Vergilius notatus est.[2]) Servius ad Bucolica vol. III, 1 p. 1 postquam de carminis bucolici origine verba fecit, haec adnotat: ‚qualitas autem haec est, scilicet humilis character. tres enim sunt characteres, humilis, medius, grandiloquus: quos omnes in hoc invenimus poeta. nam in Aeneide grandiloquum habet, in georgicis medium, in bucolicis humilem pro qualitate negotiorum et personarum.' Idemque de Aeneide vol. I, p. 4, 8 haec dicit: ‚est autem stilus grandiloquus, qui constat alto sermone magnisque sententiis. scimus enim tria esse genera dicendi humile medium grandiloquum.' Haec autem verba praebet Iunius Philargyrius I. vita vol. III[2] p. 1: ‚Tres modi locutionum sunt, quos characteras Graeci vocant, *ἰσχνός* qui tenuis, *μέσος* qui moderatus, *ἁδρός* qui validus intellegitur.' Eandem sententiam scriptam legimus p. 12: ‚Aut (quia) tres modi locu-

---

[1]) De compositione Plutarchus Neoplatonicus dicit in scholiis ad Dionysii Halicarn. de compositione verborum librum § 21 conscriptis, quae publici iuris fecit Hanowius in Dionysii Halicarn. de compositione verborum libri epitome e germanicis exemplis edita 1868.: *ὁ δὲ Πλούταρχος τὸ μὲν τῆς συνθέσεως ἁδρόν, τὸ δὲ ἰσχνόν, τὸ δὲ μέσον καλεῖ.* cf. Volkmannum in libro, qui inscribitur: Leben und Schriften des Plutarch von Chaeronea' p. XIV. Idem Plutarchus commemoratur etiam a Tzetza in tractatu Pb *περὶ κωμῳδίας* § 23. C. G. F. p. 20. K. cf. Kaibelium in prolegomenis *περὶ κωμῳδίας* p. 27.

[2]) cf. G. Thilonem in Fleckeis. annal. vol. 149. (1894) p. 298.

tionum sunt, quos characteras Graeci vocant: tenuis, moderatus, validus, credibile erit Vergilium, qui omni genere scientiae praevaleret, Bucolica ad primum modum, Georgica ad secundum, Aeneida ad tertium voluisse conferre.' In altera autem Vergilii vita, quae ipsa quoque ad Iunium Philargyrium est referenda, haec aetatem tulerunt p. 6: ‚Modus tenuis, moderatus, praevalidus: tenuis in Bucolicis, moderatus in Georgicis, praevalidus in libris Aeneae,' admodum breviter p. 2 dicit: ‚Humile, medium, magnum.' Similia autem in Vergilii vita de commentario Donati sublata (apud Hagenium in schol. Bern. ad Verg. Bucol. et Georg. p. 742) inveniuntur: ‚Restat ut, quae causa 'voluntatem' adtulerit poetae Bucolica potissimum conscribendi considerare debeamus. Aut enim dulcedine carminis Theocritei ad imitationem eius inlectus est, aut ordinem temporum secutus est circa vitam humanam, quod supra diximus, aut cum tres modi sint elocutionum, quos *χαρακτῆρας* Graeci vocant, *ἰσχνός* qui tenuis, *μέσος* qui moderatus, *ἁδρός* qui validus intellegitur, credibile erit Vergilium qui in omni genere praevaleret Bucolica ad primum [modum], Georgica ad secundum,[1]) Aeneidem ad tertium voluisse conferre.' Quibus locis allatis apparet tria illa genera *ἰσχνόν, ἁδρόν, μέσον,* quae in anecdoto inveniuntur, apud scholiastas ad Vergilii bucolica scripta exstare. Itaque totam hanc doctrinam emanasse concludi posse iudico ex commentario ad Theocritum Graeco, ubi nihil inveniebatur de florido dicendi genere. In Theocriti autem prolegomenis adhuc publici iuris factis tota haec pars intercidit. Vestigia autem videntur exstare in hisce verbis (p. 3 Ziegler, p. 8 Ahrens): *ἐκπέφευγε δὲ τὸ ἄγαν ἁδρὸν καὶ ὑπέρογκον τῆς ποιήσεως,* quae verba in anecdoto eis ipsis praecedunt, quae sunt de ratione dicendi. Sed Donati doctrina fluxit in Glossarium Corp. Gloss. Lat. vol. V, p. 175, 13: ‚characteres modi elocutionum: dicit esse Donatus, quos Graeci *χαρακτῆρας* vocant, scinos *(ἰσχνός),* qui tenuis, melos *(μέσος),* qui moderatus, adros *(ἁδρός),* qui validus intellegitur.'[2]) Quin etiam Constantinus Lascaris, de quo supra egimus, prolegomena ad Vergilium conscripta in usum suum convertisse mihi videtur. Dicit enim apud Migneum patrol. Gr. vol. 161, 953: *Διαιρεῖται δὲ ὁ ποιητικὸς λόγος εἰς τρία· εἰς ἁδρόν, μέσον καὶ ἰσχνόν. Καὶ τῷ μὲν ἁδρῷ ἐχρήσαντο οἱ φυσικοί, εἶτα οἱ ἡρωϊκοί, δεινῷ ὄντι καὶ τὴν φράσιν καὶ τὴν ὑπόθεσιν ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἡρώων· τῷ δὲ μέσῳ οἱ τὰ γεωργικὰ καὶ ἄλλα τοιαῦτα ποιήσαντες· τῷ δὲ ἰσχνῷ οἱ τὰ βουκολικὰ καὶ ἐρωτικά. Πολλάκις δὲ οἱ ποιηταὶ καὶ τοῖς τρισὶν ἐχρήσαντο κατὰ τὰ παραγόμενα πρόσωπα καὶ ὕλην τὴν φύσιν τῶν ἀνθρώπων μιμούμενοι.* Praecipue enim verbis illis *ἡρωϊκοί, γεωργικά, βουκολικά* demonstrari mihi videtur hanc doctrinam Lascarem e scholiis ad Vergilium conscriptis hausisse.

Dividitur autem dicendi ratio in tres partes apud alios quoque auctores, qui de arte poetica scripserunt. Veluti apud Philodemum in libro, qui inscribitur *περὶ ποιημάτων,* in annal. Fleckeisen. supplem.

---

1) cf. schol. Bern. p. 842, 8 Hagen.: ‚in Georgicis medium eloquium.'
2) Nonnulla correxi secundum ea, quae apud Donatum l. s. s. scripta exstant.

vol. 17 (1890) p. 251 fr. 28. (Hausrath) haec de dictione scripta legimus: *τὴν δὲ λ[έξιν φησὶν?] συγκεῖσθαι διa[φέρου]σαν οὐθὲν γνω . . . . . εἴ[ς ὑ]πόθεσιν, μί[μημα λέ]γω[ν] αὐτὴν καὶ συνέπ[ει]αν ἐκ τῶν ἀλλαχόθεν καὶ ἀλλαχόθεν ἐπῶν ποεῖ. διοίσει δὲ οὐδέν, φησίν, οὐδὲ ἂν Ἀρχίλοχον ἢ Εὐριπίδην ἢ ἄλλον τινὰ Ὁμήρῳ συμβάλλωμεν, ⟨ἢ ἂν⟩ μόνον ἑκατέρου τὴν ἐπαινουμένην ἀντιπαρατιθῶμεν λέξιν. οὐ γὰρ ὅτι διάφορον [ἔ]που⟨ς⟩? τραγῳδία καὶ ἴαμβος καὶ τὸ ἐμμελές, διὰ τοῦτ' οὐ συμβαλοῦμεν ἐξ ἑτέρου γένους ποητὴν ποητεῖ τοῦ τέλους ὑπά[ρχο]ντος παντὶ γένει ταὐτο⟨ῦ⟩. πᾶσαν γὰρ ἀκολουθε[ῖ τ]ὴν ἐν αὐτοῖς λέξιν καλῶς ἢ μέσως ἢ φαύλως ἐγκεῖσθαι, τούτου δ' [ὄ]ντος [τ]ότε, ὅταν ἁπάντω[ν] ἐκ —.* Neque miror Quintilianum in ea libri X. parte, ubi de poetis agitur, de singulorum poetarum ratione dicendi iudicium proferre. Veluti X, 1, 66 Aeschylus vocatur sublimis et gravis et grandilocus, Simonides X, 1, 64 tenuis alioqui, de Hesiodo autem X, 1, 52 haec dicit: ‚daturque ei palma in illo medio genere dicendi.'

Sed qua ratione de tragicorum elocutione sit iudicatum a veteribus, nunc videamus. De Aeschylo haec scripta legimus in Aeschyli vita (apud Dindorfium in Aeschyli trag. superst. vol. III p. 3): *κατὰ δὲ τὴν σύνθεσιν τῆς ποιήσεως ζηλοῖ τὸ ἁδρὸν ἀεὶ πλάσμα,*[1]) *ὀνοματοποιΐαις τε καὶ ἐπιθέτοις, ἔτι δὲ μεταφοραῖς καὶ πᾶσι τοῖς δυναμένοις ὄγκον τῇ φράσει περιθεῖναι χρώμενος.* Euripides autem medium dicendi genus secutus est, id quod cognosci potest ex eis verbis, quae scripta exstant in Euripidis vita (vol. I. p. 4, 3 ed. Schwartz): *πλάσματι δὲ μέσῳ χρησάμενος περιγέγονε τῇ ἑρμηνείᾳ ἄκρως εἰς ἀμφότερον χρώμενος ταῖς ἐπιχειρήσεσι.* Simili ratione de Euripide dicit Dionysius Halic. de imitatione p. 22 Usener.: *ὁ δὲ οὔτε ὑψηλός ἐστιν οὔτε μὴν λιτός, ἀλλὰ κεκραμένῃ μεσότητι τῆς λέξεως κέχρηται.*

De comoedia autem in universum iudicatur apud Dionysium Halic. de imit. p. 22 Usener.: *τῶν δὲ κωμῳδῶν μιμητέον τὰς λεκτικὰς ἀρετὰς ἁπάσας· εἰσὶ γὰρ καὶ τοῖς ὀνόμασι καθαροὶ καὶ σαφεῖς καὶ βραχεῖς καὶ μεγαλοπρεπεῖς καὶ δεινοὶ καὶ ἠθικοί.*[2]) Quibuscum verbis comparanda sunt ea, quae inveniuntur apud Tzetzam M a 10 p. 26 Kaibel.: *ἐγὼ δὲ χαριεντιζόμενος παρεγκλιτικῶς οὕτως εἶπον τὰς τέσσαρας χάριτας τοῦ λόγου καὶ ἀρετάς, τήν τε σαφήνειαν καὶ τὴν συντομίαν τὸ πιθανόν τε καὶ αὐτὴν τὴν μεγαλοπρέπειαν.* In libro autem Glossario l. s. s. V, 41, 9 s. v. scena de tragoedia et comoedia hoc iudicium profertur: ‚tragoedia est enim genus carminis quo poetae regum casus durissimos et scelera inaudita vel deorum res alto sonitu describunt (describebant G. P.): comoedia, quae res privatorum et humilium personarum comprehendit, non tam alto ut tragoedia stilo, sed mediocri et dulci.'

---

[1]) Considerandum est primum illud *πλάσμα* eodem sensu atque elocutionem videri usurpavisse Tauriscum grammaticum, qui e Cratetis schola est profectus. cf. Schmidium l. s. s. p. 135. Locis ab eo tractatis addo Philodemi rhet. vol. I. p. 165 Sudhaus.

[2]) cf. Kaibelium CGF. p. 81.

De poetis lyricis Dionysium Halic. agere apparet. Exempli causa affero ea, quae de Alcaei dicendi genere profert de imit. p. 20 Usener.: *Ἀλκαίου δὲ σκόπει τὸ μεγαλοφυὲς καὶ βραχὺ καὶ ἡδὺ μετὰ δεινότητος.*

De Arato haec scripta legimus apud Maassium in commentariorum in Aratum reliquiis p. 324.: 4. *ζηλωτὴς δὲ ἐγένετο τοῦ Ὁμηρικοῦ χαρακτῆρος κατὰ τὴν τῶν ἐπῶν σύνθεσιν. ἔνιοι δὲ αὐτὸν λέγουσιν Ἡσιόδου μιμητὴν γεγονέναι.* Contra hanc sententiam haec dicta sunt eadem pagina: 5. *τὸ γὰρ πλάσμα τῆς ποιήσεως μεῖζον ἢ κατὰ Ἡσίοδον.* In scholiis autem ad v. 100 p. 357 Maass. haec inveniuntur verba: *καὶ ὡς ἂν εἴποι τις Ὁμηρικῷ πλάσματι χρησάμενος.* Iam ad alium poetam poeseos didascalicae transeamus. Scriptum enim legimus in Dionysii Perieg. vita a Ruehlio l. s. s. publici iuris facta p. 83, 78.: *Ὁ γὰρ τῶν πόλεων ἄπειρος ὢν κατάλογος τῇ τῶν ὀνομάτων ἐπισυναφεὶς ὀνομασίᾳ τοῦ μὲν ἰσχνοῦ τὸ ἀσθενὲς ἐξέφυγε, τοῦ δὲ ἀνθηροῦ τὸ ἡδὺ παρῃτήσατο διὰ τὴν ἔκλυσιν. ἐξ ὧν ὁ ποιητὴς ἀποδείκνυται ποικίλος, εἴγε πρὸς τὰς ὑποθέσεις αὐτοῦ ἁρμόζει, ποτὲ μὲν καταγλυκαίνων τῶν ἀνθηρῶν τὰ ἔπη ὡς ἐν τοῖς αὐτοῦ Λιθιακοῖς ἀποδέδεικται, ποτὲ δὲ τῷ γλαφυρῷ διατορεύων, ὡς ἐκ τοῦ παρακειμένου βιβλίου σαφές. ὅτι δὲ διαβέβληται τὸ παχύ, σαφῶς ὁ Καλλίμαχος ἐν τοῖς ἐπιγράμμασι δηλοῖ· διασύρων γὰρ Ἀντιμάχου τὸ ποίημα τὴν Λύδην ἔφη· Λύδη καὶ παχὺ γράμμα οὐ τορόν.*

Restat, ut de Homeri carminibus pauca addam. In Plutarchi enim quae fertur vita et poesi Homeri c. 161. vol. VII. p. 427. B. scriptum exstat: *τίς μᾶλλον Ὁμήρου ἐν τῇ δυνάμει ταύτῃ καθέστηκεν, ὃς τῇ τε μεγαλοφωνίᾳ πάντας ὑπεραίρει ἔν τε τοῖς διανοήμασι τὴν ἴσην τοῖς λόγοις ἰσχὺν ἐπιδείκνυται;* c. 213. vol. VII. p. 457. B.: *συνελόντι δ' εἰπεῖν, ὅτι οὐδὲν ἄλλο ἢ δράματα αὐτοῦ ἐστι τὰ ποιήματα, σεμνὰ μὲν καὶ ἐπηρμένα τῇ λέξει καὶ τῇ διανοίᾳ καὶ τοῖς πράγμασιν.* Summi autem momenti sunt ea, quae profert Eustathius. Dicit enim in prooemio ad Iliadem I, 4, 36.: *Ἔτι κἀκεῖνο προλαβεῖν χρὴ ἐχόμενον ἤδη καὶ προκλητικὸν τοῦ παρεκβολικοῦ, ὅτι ἀνδρώδης μὲν ἡ Ἰλιὰς καὶ σεμνοτέρα καὶ ὕψος ἔχουσα, ἐπεὶ καὶ ἡρωϊκωτέρα. ἠθικὴ δὲ ἡ Ὀδύσσεια, ὡς ἐκεῖ σαφέστερον γέγραπται· καὶ ὅτι τὴν Ὁμηρικὴν ἰσχὺν οὐ τοσοῦτον ἐν τῇ Ἰλιάδι ἔστι καταμαθεῖν, ὅσον ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ. ἐνταῦθα μὲν γὰρ πολλαὶ ἀφορμαὶ εἰς ῥητορείας δαψίλειαν, ἐκεῖ δὲ γλισχρότατος καὶ πάντῃ ὀλιγόυλος ὁ τοῦ βιβλίου σκοπός*, in prooemio ad Odysseam I, 1, 38.: *Ἠθικωτέρα δὲ τῆς Ἰλιάδος κατὰ τὴν παλαιὰν ἀλήθειαν ἐστὶν ἡ Ὀδύσσεια ὅ ἐστιν γλυκυτέρα τε καὶ ἀφελεστέρα. ἤδη δὲ καὶ ὀξυτέρα διὰ τὰ ἐν φαντασίᾳ ἐπιπολαίου ἀφελείας βάθη τῶν νοημάτων, ὡς οἱ τεχνικοὶ λέγουσι. τοῦτο γάρ ἐστιν ὀξύτης ῥητορική, νοημάτων βαθύτης ἐν ἐπιπολαζούσῃ ἁπλότητι. Ἰστέον δὲ ὅτι πάνυ γλίσχρα τὰ τῆς ὑποθέσεως ἐν τῷ βίβλῳ τούτῳ, καὶ ἄπορα καὶ ὀλιγόυλα.* Epicorum autem elocutio ne sit humilis, admonet Tzetzes in prolegomenis ad Hesiodum II. p. 13, 10. (Poet. Gr. Min.) Gaisf.: *ποιὰ λέξις, ἤτοι ἡρωϊκή, καὶ ἀξιωματική, καὶ τῷ ἡρωϊκῷ μέτρῳ ἁρμόζουσα, ἀλλὰ μὴ κατατετριμμένη καὶ χθαμαλή.* Quibus tot exemplis enumeratis apparere iudico non solum eos, qui de arte rhetorica scripserunt, sed etiam

eos, qui arti poeticae operam navaverunt, dicendi genera usurpavisse. Alteram doctrinam ex altera pendere mea quidem sententia statuendum est. Sed cum plerumque singuli poetae tractarentur, saepenumero unius, non omnium dicendi generum fiebat mentio.

Apud musicos quoque scriptores similia inveniri obiter commemoro. Sed apud eos tota res ita esse comparata videtur, ut duo genera aut notiones opponantur. Veluti apud Philodemum de musica p. 64, 19 sqq. Kemke. scriptum legimus: *οἱ μὲν ὥςπερ οἱ τούτῳ παραπλήσιοι τὴν μὲν φάσκοντες εἶναι σεμνὴν καὶ γενναίαν καὶ ἁπλῆν καὶ καθαράν, τὴν δ' ἄνανδρον καὶ φορτικὴν καὶ ἀνελεύθερον, οἱ δὲ τὴν μὲν αὐστηρὰν καὶ δεσποτικήν, τὴν δὲ ἥμερον καὶ πιθανὴν προςονομάζοντες* et p. 65, 30: *ἐν αἷς ἐστι μεγαλοπρεπὲς καὶ ταπεινὸν καὶ ἀνδρῶδες καὶ ἄνανδρον καὶ κόσμιον καὶ θρασύ.* Sed ad Aristidem Quintilianum transeamus, qui *περὶ μουσικῆς* II, 10 p. 52, 24 sqq. Jahn. haec praebet: *Τούτων δὴ τῶν ἐννοημάτων πλεκομένων ἀλλήλοις γίνονται λόγοι καὶ λόγων εἴδη, οἷον ἐκ ποικίλων χυλῶν τε καὶ χυμῶν φάρμακά τε καὶ ἡδύσματα. τὰ μὲν οὖν ἐς ἄνεσιν ἄγοντα καὶ φαιδρότητα τὸν ἀφελῆ τε καὶ ἡδὺν λόγον ἐγέννησε· τὰ δὲ τὸ σύννουν κινοῦντα καὶ τὸ ὁρμητικὸν τὸν πολιτικόν τε καὶ ἀγωνιστικὸν ἐξέφηνε κ. τ. λ.* Contra Doxopatres in homiliis *εἰς Ἀφθόνιον* rhet. Gr. II, 182, 14 sqq. W. tria affert genera artis musicae: *Τὸ δὲ σύντονον ἀντὶ τοῦ ἐπιτεταμένην· τοιοῦτον γὰρ τὸ σύντονον μέλος τῆς μουσικῆς· τρία δέ φασι καὶ ταύτης τὰ εἴδη, τὸ σύντονον, τὸ ἀνειμένον, τὸ μέσον, ὥςπερ καὶ τῆς ῥητορικῆς τρία εἰσὶ τὰ εἴδη, τὸ δικανικόν, τὸ συμβουλευτικὸν καὶ τὸ πανηγυρικόν.*

Sed quoniam a proposito aberravimus, nunc revertamur ad anecdoton Estense. Nam § 3 paucis de Theocriti vita prolatis, quae maximam partem consentiunt cum verbis apud Ahrensium publici iuris factis, agitur de septem poetis, qui Alexandriae florebant. Quo in numero commemoratur Theocritus, Aratus, Nicander, Aiantides[1]) aut Apollonius Rhodius, Philiscus, Homerus, Lycophron. Eidem autem poetae enumerantur in prolegomenis ad Theocritum p. 2 Ahrens, qui locus ex solo codice F est enotatus,[2]) et a Tzetza in Lycophronis vita p. 263 M. Primo autem obtutu apparet Tzetzae et anecdoti verba arte inter se cohaerere. Veluti apud utrumque auctorem de Homero copiosius agitur. Sed hoc est commemorandum tribus illis locis non solum tragicos afferi, sed varii generis poetas. Itaque mea quidem sententia Kroehnertius in dissertatione, quae inscribitur: ‚Canonesne poetarum scriptorum artificum per antiquitatem fuerunt?' Regimonti 1897, graviter peccavit, qui hanc pliada ad tragicos poetas esse referendam p. 26 adn. 1 censet. Expressis enim verbis apud Tzetzam p. 263 M. scriptum videmus: *ἦν δὲ εἷς τῶν ἑπτὰ ποιητῶν,* apud Ahrensium p. 2:

---

[1]) Illud *Αἰαντίδης* post verba illa *τὸν τὰ Θηριακὰ συγγράψαντα* esse ponendum ex eis apparet, quae scripta exstant apud Ahrensium p. 2 et in Lycophronis vita ab Joanne Tzetza conscripta p. 263 M., quo loco post *Νίκανδρος* est incidendum.

[2]) cf. Ahrensii praef. p. LXV, qui hanc partem Tzetzae esse assignandam iudicat.

Ὅτι κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἤκμασαν ἑπτὰ ποιηταί, in anecdoto: *ἑπτὰ δέ φασιν ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις ἀκμάσαι ποιητὰς ἀρίστους, οὓς πλειάδα ἐκάλουν.* Huc accedit, quod Tzetzes alteram pliada novit. Dicit enim p. 267 M.: *κἂν ἕτεροι μὴ εἰδότες ἄλλους φασὶν εἶναι τῆς Πλειάδος.* Sed tribus illis locis, de quibus agimus, Ptolemaei Philadelphi temporibus poetae illi floruisse dicuntur, id quod plane ineptum est, quadrat autem ad solam tragicorum pliada. Itaque concludendum esse iudico totam hanc de altera pliade doctrinam Byzantinorum aetate esse ortam. Praeterea est considerandum in anecdoto Est. ea, quae praecedunt, repugnare eis, quae secuntur. Scriptum enim legimus: *ἤκμασε δὲ ἐν τοῖς χρόνοις Πτολεμαίου τοῦ ἐπικληθέντος Λαγωοῦ* et infra *οἱ δὲ ἐν τοῖς χρόνοις Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου φασὶν ἀκμάσαι, ὃς δὴ παῖς ἦν Πτολεμαίου τοῦ Λαγωοῦ καὶ Βερενίκης τῆς Ἀντιγόνου θυγατρός.* Sed reputes quaeso totam hanc particulam, quae est de Theocriti vita atque pliade poetarum Alexandrinorum, simili modo esse comparatam atque Tzetzae de Lycophronis vita et pliade dissertatiunculam. Accedit aliud argumentum. Eo enim loco, ubi anecdoti auctor de Artemidoro grammatico verba facit, haec inveniuntur: *προτέθεικε δὲ ὁ συντάξας αὐτὰ τὸ παρὸν εἰδύλλιον πρῶτον διὰ τὸ χαριέστερόν τε ὁμοῦ καὶ τεχνικώτερον εἶναι, ἑπόμενος τῷ Πινδάρῳ εἰπόντι* (Ol. VI, 3): *Ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεναι τηλαυγές. Καίτοι γε, ὅσον κατὰ τὴν ὑπόθεσιν, οὐ πρῶτον, ἀλλὰ περί που τὰ μέσα τεθῆναι ἔδει.* Hypothesin igitur auctor Byzantinus exscripsit. Scriptum enim legimus in primi carminis hypothesi p. 11 Ahrens: *Αὕτη ἡ ὑπόθεσις εἰς Δάφνιν γέγραπται, ὃς διὰ μὲν τούτου τοῦ εἰδυλλίου τέθνηκε, διὰ δὲ τῶν ἑξῆς ὡς ζῶντος αὐτοῦ μνημονεύει. ὅμως τοῦτο προτέτακται διὰ τὸ χαριέστερον καὶ τεχνικώτερον τῶν ἄλλων μᾶλλον συντετάχθαι· Πίνδαρος γάρ· ἀρχομένου δ' ἔργου, φησί, πρόσωπον χρὴ θέμεναι τηλαυγές.* Ceterum ante Vergilium Theocriteorum corpus argumentis esse instructum comprobavit Ericus Betheus in indice lectionum univers. Rostoch. 1896 p. 13. Hypotheses autem in eam fere formam, quae aetatem tulit, ab Eratosthene grammatico, qui fuit aetate Iustinianea, esse redactas magna cum probabilitate statuit Ahrensius l. s. s. p. XXXIII. Itaque post saeculum p. Chr. n. VI. anecdoton Est. esse compositum est concludendum.

Restant duae quaestiones, quae ad epigrammata in anecdoto tradita pertinent. Illo enim epigrammate Artemidoreo id comprobatur, quod Betheus l. s. s. p. 3 contendit Artemidorum variorum poetarum bucolica coegisse neque hoc epigramma cum illo: *Ἄλλος ὁ Χῖος* esse coniungendum. Praeterea minime est neglegendum auctorem Byzantinum caute dicere: *ὅτι ἐκ τοῦ προειρημένου ἐπιγράμματος Ἀρτεμιδώρου στοχάσαιτ' ἄν τις κ. τ. λ.* Alterum autem in carminum Theocriteorum editione vetusta adscriptum fuisse imagini pictae, cui erat additum Theocriti nomen, idem argumentis studuit comprobare l. s. s. p. 6. Denique pauca addam de ea anecdoti parte, ubi de Theocriti dialecto agitur. Quae fortasse ad eundem Artemidorum, qui bucolica edidit, est referenda. Scriptum enim legimus apud Athenaeum IV 182 d: *ὁ δὲ*

καλάμινος αὐλὸς τιτύρινος καλεῖται παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσιν, ὡς Ἀρτεμίδωρος ἱστορεῖ ἐν β' περὶ Δωρίδος.

Sed ut summam totius disputationis faciamus, quaeritur, num anecdoti Estensis auctor nominari possit. Qua in re reputandum est primam anecdoti partem arte cohaerere cum Tzetzae prolegomenis ad Lycophronem, alteram ex eisdem fontibus esse haustam atque Tzetzae de poesi dramatica tractatus, in tertia parte id caput, quod est de voce *βουκόλος*, ex Orionis Neoplatonici lexico emanasse illamque particulam ad Theocriti vitam atque pliada poetarum Alexandrinorum pertinentem simili ratione esse institutam atque Tzetzae vitam Lycophronis. Quibus argumentis perpensis aliqua cum probabilitatis specie dici posse iudico anecdoton Estense esse conscriptum ab Joanne Tzetza. Quem Theocriti carminibus studuisse cognosci potest ex Chiliadum lib. II v. 580 et lib. XII v. 944, ubi Theocriti ipsa verba afferuntur.[1]) Secundum ea, quae supra p. 73. exposuimus, haec prolegomena ad Theocriti carmina conscripta Tzetzae iuveni sunt assignanda. Ceterum ea Theocriti prolegomena, quae ad hanc aetatem pervenerunt, Byzantinis auctoribus nos debere censeo atque ea imprimis Tzetzae. Quos ex vetustioribus pendere prolegomenis et per se ipsum et ex eis, quae demonstravimus, apparere iudico.

Addenda.

1. Nuperrime Wilamowitzius in comment. philol. a Kießlingio et Wilamowitzio ed. vol. XVIII. (1906) p. 125. epigramma illud *ἄλλος ὁ Χῖος* retractavit. Verba modo allata ad Homerum pertinere, non ad Theocritum Chium[2]) ille demonstravit. Sed epigrammatis versum quartum recte est interpretatus Betheus l. s. s. p. 9. Praeterea Wilamowitzius epigramma carminum Theocriteorum editioni fuisse inscriptum dicit, negat de pictura posse cogitari.[3]) Sed fieri potuit, ut, quamquam ex epigrammatis verbis concludi nequit illud esse referendum ad picturam, tamen in vetustae editionis titulo utrumque inveniretur et epigramma illud et pictura.

2. Pauca addam de dicendi generibus. Affertur enim in anecdoto et apud Plutarchum personatum grandis dicendi generis exemplum Thucydides, medii Demosthenes, tenuis Lysias. Quae doctrina spectat ad Dionysium Halicarnaseum. cf. Radermacherum in mus. Rhen. vol. LIV (1899) p. 372. Subest igitur doctrina Peripatetica, quam Stoici in usum suum converterunt, id quod supra exposuimus. cf. Wilamowitzium in Hermae vol. XXXV (1900) p. 44. — Permultum valet ad dicendi generum doctrinam investigandam Philodemi locus vol. rhet. I. p. 165 Sudh.: *πλάσμα δὲ τὸ ἁδρογραφίαν ἔχον ἢ ἰσχνότητα ἢ μεσότητα* (cf. Radermacherum l. s. s. p. 361 adn. 1) *ἢ γλαφυρότητα.*

---

[1]) cf. Wilamowitzium in comment. philol. a Kießlingio et Wilamowitzio ed. vol. XVIII (1906) p. 5/6.

[2]) cf. Betheum l. s. s. p. 8.

[3]) cf. Wilamowitzium l. s. s. p. 10. adn.

Fortasse *γλαφυρότης* respondet florido generi. cf. Ciceronem or. 96: ‚est enim quoddam etiam insigne et florens orationis et expolitum genus.' Neque vero totum Philodemi locum nunc accuratius examinare possum. Praeterea non est neglegendum apud Philodemum agi de arte rhetorica, sex locos supra tractatos, quibus occurrunt quattuor dicendi genera, esse referendos ad artem poeticam. — Nuperrime egit de dicendi generibus Hendrickson in American Journal of Philology vol. XXV (1904) p. 125 sqq. et vol. XXVI (1905) p. 249 sqq. Priore loco negat ille tripertita dicendi genera esse referenda ad Theophrastum. Sed dicit l. s. s. p. 146: The conception of excellence of style of whatever kind as a mean is fundamental to Aristotle's theory and was defined more accurately and illustrated by Theophrastus. Altero loco egit de dicendi characterum origine atque sententia. Tripartitio illa *(ἁδρός ἰσχνός μέσος χαρακτήρ)* Hendricksonii sententia est facta secundum tria oratoris officia (movere docere conciliare). Qua in re magni est momenti ratio, quae intercedit inter *πίστεις ἐν αὐτῷ τῷ πράγματι* et *τὰ ἔξω τῶν πραγμάτων,* inter artem dialecticam et rhetoricam. Accuratius de illius sententia hoc loco disputare nequeo. Neque vero habeo, quod mutem ea, quae supra de dicendi generibus ad artem poeticam spectantibus protuli. Tota autem historia dicendi characterum digna est, quae retractetur.

Tabula argumenti.

Typis Roberti Noske Bornensis.

Vita.

Paulus Ioannes Kayser Hermanni Leopoldi filius matre Ida e gente Schuster natus sum Dresdae a. d. XIX. Kal. Febr. anni MDCCCLXXXIII.; fidei addictus sum Lutheri evangelicae. Litterarum elementis imbutus anno MDCCCLXXXXIII. in gymnasium regium Dresdense, scholam inlustrissimam, receptus sum. Atque pio gratoque animo et Martinum Wohlrabium scholae etiam nunc rectorem et ceteros colam praeceptores. Imprimis autem semper grata tenebo memoria R. Kadeum, qui sincero vereque paterno animo mihi studiisque meis benevolentissime favet. Maturitatis testimonio instructus vere anni MCMII. hanc litterarum sedem adii studiis et philologis et historicis operam navaturus. Docuerunt me viri inlustrissimi Brugmann Buchholz Buecher Heinze Hofmann Immisch Lamprecht Lipsius Marx Seeliger Studniczka Wachsmuth Wundt. Eximia Immischii et Martinii benevolentia in proseminarium, Lipsii Marxii Wachsmuthii benignitate in seminarium philologorum sum receptus atque prioris exercitationibus per duo, alterius per tria semenstria interfui. Seminarii historici sodalibus benigne me Koetzschke Lamprecht Seeliger Wachsmuth adscripserunt. Denique exercitationibus metricis philologis historicis archaeologis quas instituerunt Marx Martini Buchholz Studniczka interfui.

Quibus praeceptoribus omnibus gratias habeo quam maximas; praecipue cum Lipsium et Wachsmuthium et Martinium tum Marxium et Immischium, qui semper studiorum meorum fuerunt fautores benevolentissimi, grato animo colere non desinam.

Denique amicorum in philologorum thiaso Lipsiensi consuetudini multa me debere laetus profiteor.